CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, H. HYVERNAT

SCRIPTORES SYRI

SERIES TERTIA

TOMUS V

VERSIO

LOVANII MDCCCCXXIV

HISTORIA ECCLESIASTICA

ZACHARIAE RHETORI VULGO ADSCRIPTA

INTERPRETATUS EST

E. W. BROOKS

I

LOVANII

E TYPOGRAPHEO I.-B. ISTAS

MDCCCCXXIV





PRAEFATIO.

I. Opus syriacum cuius versionem nunc damus primus notum fecit I. S. Assemanus, qui eius excerpta quaedam, quae a concilio chalcedonensi ad excidium Romae anno 546 factum extendunt, in Cod. Syr. Vat. CXLV invenit et in *Bibliotheca Orientali* cum citationibus descripsit.

Cum autem locus qui hic occurrit (nostri textus VIII, VII, ad fin.) a Dionysio Bar Ṣalībī sub nomine Zachariae Rhetoris et episcopi Melitenes proferatur, et plerique loci ab Evagrio de Zacharia Rhetore citentur, Assemanus Zachariae Melitenensi opus adscripsit. Fragmenta anno 1838 a Mai cum versione latina edita sunt, qui auctorem eum Zacharia Scholastico et episc. Mitylenes qui scripsit *Dialogum de Opificio Mundi* eundem fecit, eumque graece scripsisse recognovit. Sed opus de quo haec excerpta sunt, in duodecim libros divisum, in Cod. Brit. Mus. Add. 17202 exstat, unde a Land anno 1870 vulgatum est, qui ex ipsius auctoris verbis eum in libro tantum III Zachariam sequi incepisse notavit, perperam autem librum VII Zachariae adscripsit, quamquam libros III-VI solos de eo sumptos esse auctor indicat. A Syris (ex gr., Bar Ṣalībī et Michaele) totum opus quasi Zachariae per errorem citatur.

In libro I auctor post exordium, in quo operis scopum ac methodum explicat, discrepantiam versionum libri Genesis graecae et syriacae chronologicam tractat, cetera capita versionem libri Ioseph et Aseneth Mosi ingileno adscriptam, Acta Silvestri, narrationem de inventione relliquiarum s. Stephani et aliorum, et auctorum duorum syrorum brevem laudationem continent. In libro II, post Acta Septem Dormientium, historia proprie dicta, quae opera Socratis et Theodoreti continuat, anno 449 incipit, et Eutychis a gradu depositionem, synodum Ephesi secundam, successionem episcoporum, epistulam Procli ad Armenios, et breve chronicon exhibet. In libris III-VI, qui ad annum 491 exten-

dunt, paucis rebus exceptis omnia de graeca Zachariae historia sumpta sunt et ad res ecclesiasticas pertinent; in libro VII regnum Iustini, in libris IX-XI! regnum Iustiniani et res quae usque ad annum 569, quo opus finitum est, gestae sunt narravit auctor, sed liber XI omnino periit, et librorum X et XII fragmenta tantum conservata sunt; ultimum quod exstat caput (XII, VII) Ptolemaei Geographiae epitomen exhibet.

II. Opus, quamquam anno demum 569 finitum est (parte I, p. 4), variis temporibus scriptum est, XII, I, anno 561 et XII, VII, anno 555, et per totum opus ut nunc exstat Iustinianus ut vivus tractatur. In multis locis utrum in sua persona loquatur auctor an priorem auctorem exscribat dictu difficile est. Quin Dāḏhā anachoretam (pt. II, p. 53), Domnicum italum (p. 92), et Eustathium amidensem (p. 94) ipse cognoverit nihil obstat; sed eum Gaḏhānā, qui Persas anno 504 prodidit (p. 21, 22), novisse, quamquam fieri potest, vix credendum. Quando Dioscorum Alexandriae 'nunc' sedere dicit (p. 40), auctorem qui 516/7 scribebat proculdubio exscribit, sed notitiae in eodem capite datae ad annum 524 extendunt. Cum se consilio patris cuiusdam vel fratris scripsisse dicat et 'in exercitium fratrum' (pt. I, p. 40, 72, 74), eum monachum fuisse clarum est; et propter longam obsidionum Amidae narrationem (VIII, III-V), episcoporum Amidae Thomae et Māre laudationem (pt. II, p. 24, 54), Eustathii amidensis cognitionem, Abraham episcopi vituperationem (X, II, III), persecutionis monachorum Amidae historiam (XII, VI), et captivorum amidensium familiaritatem (p. 145), quin Amidae vixerit vix dubium est[1]. Addendum est quod Mosis ingileni familiaritate utebatur (I, IV, V). Ingila autem, Amidae metropoli subiecta, ei finitima erat, et, ut e IOHANNE EPHESINO, *De beatis Orientalibus*, capp. IV, V videmus, cum ea arcte coniuncta.

Libri III-VI, ut diximus, ex historia Zachariae sumpti sunt, praeter breves de rebus saecularibus notitias quae in parte I,

[1] Immo rem quae Amidae contigit 'hic' gestam esse dicit (pt. II, p. 136, l. 5).

p. 115, 142, inveniuntur et catalogos episcoporum (pt. I, p. 142, et pt. II, p. 10), qui ab auctore catalogorum qui in parte II, pp. 40, 58, stant manifesto compositi sunt. Hic Zacharias quin cum Zacharia Scholastico qui vitas Severi[1] et Isaiae[2] scripsit idem fuerit vix dubitem, eumque historiam regnante Anastasio (491-518) et ante vitam Severi, quae post mortem Eupraxii cui historia dedicata est (p. 100) scripta est[3], scripsisse liquet. Gazae natus, Alexandriae et Beryti legem discebat, et Severi et Petri iberi familiaris factus est. Postea Cpolim migravit, et, ut e titulo eius *Dialogi de Opificio Mundi* discimus, episcopus Mitylenes factus est. Synodo anni 536 praesens erat, sed an chalcedonius factus sit dubitare licet; potest enim ab Anthimo ordinatus esse. Decreto synodi non subscripsit.

Praeter Zachariam et documenta quae in opere nominatim exscribit usus est noster chronico quodam de rebus saecularibus (pt. I, p. 79, 99, 116) et catalogo episcoporum (vide supra). Descriptio Iustini (VII, XIV) e Iohanne Malala[4] sumpta videtur. Ceteri fontes non liquent. Relatio cum Iohanne Ephesino obscura est. In narratione eiectionis Macedonii (VII, VII, VIII) nihil difficile est; noster enim epistulam Samuelis exscribit, qua Iohannes proculdubio usus est. Epistulae Simeonis episc. Beith Aršam de persecutione Himyarāye (VIII, III), quam edidit Guidi (*Atti dell' Ac. dei Lincei*, ser. 3a, VII, 471), epitomen quae paene eadem est Iohannes et noster exhibent; et, cum noster anno 569, Iohannes anno 571 opus suum vulgaverit, ille hunc exscripsisse non potest, et, si duos textus alterum cum altero et cum textu a Guidi edito comparamus, neutrum ex altero exscriptum esse clare videmus. Iohannes vero opera quaedam Simeonis hereditavit[5], unde coniciendum est Simeonem epistulae epitomen tantum retinuisse, eamque Iohanni legasse, et huius epitomes apographum ad nostrum pervenisse.

Restant tres loci de synodo Chalcedonis (pt. I, p. 147, l. 15-p. 148, l. 2[6] = 'DION.' ap. NAU, *Rev. de l'Or. Chr.*, II, 457; p. 149,

[1] *P. Or.*, II, 7. — [2] *Vitae Monophysitarum* (in hac serie t. XXV), p. 3. — [3] *P. Or.*, II, 104. — [4] P. 410. — [5] *P. Or.*, XVII, 158. — [6] Ad textum refero.

l. 1-4 = LAND, *An. Syr.*, II, 149, l. 7-9 ; p. 153, l. 14, 15 = *ibid.*, 363, l. 3-5) qua ambo auctores paene verbaliter idem scribunt, unde Zachariae graeci usus communis exclusus est. Potest autem Iohannes nostrum exscripsisse, ut putavit A. P. Dyakonov[1]. Epistula etiam Rabbulā (X, IV) ab utroque exscripta vel epitomata esse videtur. Sed de hac quaestione, cum 'Dionysii' textus vulgatus erit, melius iudicabimus.

Qua nomina uncialibus scripsi, vocalia incerta sunt.

III. — Bibliographia.

I. S. ASSEMANUS, *Bibliotheca Orientalis*, II (Romae, 1721), p. 54-62. Citationes e cod. Vaticano cum versione latina.

A. MAI, *Scriptorum Veterum Nova Collectio*, t. X (Romae, 1838), p. 332-360. Textus cod. Vatic. universus cum versione latina, quae in *Patr. Lat.*, t. LXXXV, col. 1146-1177, repetita est. Vide praef. ad textum.

G. BICKELL, *Ausgewählte Schriften d. syr. Kirchenväter Aphraates, Rabulas, und Isaak von Ninive* (Kempten, 1874), p. 250-258 (REITHMAYER, *Bibliothek d. Kirchenväter*, CIV). Versio germanica epistulae Rabbulā (X, IV) e textu ab Overbeck edito (vide praef. ad textum) facta.

TH. NÖLDEKE, apud R. A. LIPSIUS, *Zur edessenischen Abgarsage* (*Jahrb. für prot. Theologie*, VII, 189-191. Lipsiae, 1881). Versio germanica cap. IV libri XII e textu a Land edito. Repetita notis quibusdam additis apud E. VON DOBSCHÜTZ, *Christusbilder*, p. 4**-7** (*Texte und Untersuchungen*, Neue Folge, ser. 3a). Lipsiae, 1899.

I. GUIDI, *Il testo siriaco della descrizione di Roma nella storia attribuita a Zaccaria Retore* (*Bull. della Comm. arch. di Roma*, XII, 218-239. Romae, 1884. Cf. vol. XIX, p. 61 et seq.) Textus cap. XVI libri X e codicibus C et V transcriptus cum versione latina et notis sagacissimis.

[1] *Iohann Efesskiy*, p. 235 seqq. Si ita res se habet, cum in primo loco textus 'DIONYSII' cum codice nostri congruat, an supplementa quae e MICHAELE addidi recte nostro attribuerim valde dubium videbitur.

G. OPPENHEIM, *Fabula Josephi et Asenathae apocrypha*. Berolini, 1886. Versio latina cap. VI libri I e textu a Land edito.

A. CARRIÈRE, *Une version arménienne de l'histoire d'Asséneth* (*Nouveaux Mélanges Orientaux*, p. 506-509, 511, n. 2. Parisiis, 1886). Versio gallica partis I, p. 51, l. 20-p. 53, l. 21 ; p. 55, l. 22-28[1], e textu a Land edito.

I. P. N. LAND, *Aardrijkskundige Fragmenten uit de syrische Literatur der VIde en VIIde eeuw* (*Verslagen en Mededeelingen der Kon. Akad. van Wettenschappen*, Afd. Letterkunde, IIIde Reeks, IIIde Deel, p. 167-174, 179-193. Amstelodami, 1887). Commentarium in caput VII libri XII cum versione batavica locorum p. 213, l. 24-p. 214, l. 10, et p. 215, l. 11 ad finem.

H. GELZER, *Josue Stylites und die damaligen kirchl. Parteien des Ostens* (*Byz. Zeitschrift*, I, 42, 45, 46. Lipsiae, 1892). Versio germanica partis II, p. 50, l. 9-p. 51, l. 3 ; p. 54, l. 19-p. 56, l. 22, e textu a Land edito.

TH. NÖLDEKE, *Die Synode von Sidon und Tyrus* (*ibid.*, p. 333-335). Versio correctior eorundem locorum.

F. J. HAMILTON, *The Ecclesiastical History of Zacharias Rhetor*. 1892 (privatim impressum). Versio anglica librorum III-VI et ultimi paragraphi cap. VII libri VIII, e textu a Land edito.

V. RYSSEL, *Syrische Quellen abendländischer Erzählungsstoffe*, II (*Archiv fur das Studium der neueren Sprachen*, XCIII, 251-294; cf. XCIV, 371, 372. Brunsvici, 1894). Versio germanica Actorum Septem Dormientium e textu 'Dionysii' cum variationibus nostri (II, I).

A. BAUMSTARK, *Lucubrationes syro-graecae* (*Jarhbuch für class. Philologie*, 21ster Supplementband, p. 359-361. Lipsiae, 1894.) Textus partis II, p. 136, l. 1-p. 138, l. 14, cum versione latina et notis.

G. KRÜGER et K. AHRENS, *Die sogenannte Kirchengesch. des Zacharias Rhetor*. Lipsiae, 1899. Versio germanica operis e textibus Mai et Land cum notis doctissimis. Libri I capita VI-VIII,

[1] Ad textum ubique refero.

II cap. I, X cap. XV, XVI, et descriptio orbis Ptolemaei (XII, VII) desunt.

F. J. HAMILTON et E. W. BROOKS, *The chronicle of Zachariah of Mitylene*. Londinii, 1899. Versio anglica operis. Libri I cap. II-VIII, II cap. I, et descriptio orbis Ptolemaei desunt.

M. A. KUGENER, *Sévère, patriarche d'Antioche (P. Or.*, II, 267-298. Parisiis, 1907). Textus locorum qui de Severo tractant cum versione gallica. — Vide etiam EUNDEM, *La compilation historique de Pseudo-Zacharie le Rhéteur (Rev. de l'Orient Chrétien*, V, p. 201-214, 461-480. Parisiis, 1900).

VOLUMEN NARRATIONUM FACTORUM QUAE IN MUNDO ACCIDERUNT.

p. 2.

Caput I, apologia ipsius initii libri. Caput II, epistula supplicationis de tabula generationum libri Genesis. Caput III, defensio de tabula generationum in canonibus annos numerantibus, qui infra notati sunt. Caput IV, epistula supplicationis de interpretatione libri graeci Āsyath, qui inventus est in bibliotheca Beith BRW'[1] episcoporum qui de urbe Risʿainā *erant*. Caput V, responsum ad eandem epistulam. Caput VI, interpretatio libri Āsyath. Caput VII, interpretatio Silvestri[2] patriarchae Romae, quae docet disciplinam ac baptismum Constantini regis fidelis, et disputationes doctorum Iudaeorum. Caput VIII, revelatio reliquiarii Stephani et Nicodemi, et Gamaliel et Ḥabbibh filii eius. Caput IX, de Isaac et Dādhā doctoribus syris.

CAPUT I; si ei qui ut animalia ratione carentia (et mere bruti erant) consuetudinibus turpibus, et moribus scelestis, et motibus saevis et πολιτείᾳ terrestri et traditione mala quam alius ab alio *acceperat* inter passionum studium et carnis corruptionem et foedas corporis voluptates movebantur, quos carnem nominavit Scriptura, eo quod dicit: * « Spiritus meus inter homines non habitabit in saeculum, quia caro sunt »[3]; quos Salomon etiam impios vocat, eo quod dicit : « Impii verbis suis et factis mortem invocaverunt, eamque sibi amicam putaverunt, et tabuerunt; et iuraverunt, et foedus cum ea statuerunt, quoniam digni sunt qui illius pars sint. Dixerunt enim in anima sua, nec recte cogitaverunt, ' Exigua est et cum tristitia est vita nostra, et in fine hominis iam non est medicina, nec manifestatus est qui a šèyul liberatus est quoniam subito fuimus, et post haec revertemur ut simus quasi non fuissemus, quoniam velut fumus est spiritus noster in naribus nostris, et ratio ut scintilla in corde nostro movetur, [illegible] [illegible]ncta corpus nostrum fit ut cinis, et spiritus ut aer tenuis [illegible]ur,

*p. 3.

[1] Vide p. 12, n. 8. — [2] Sic textus. — [3] *Gen.*, VI, 3.

et nomen nostrum post tempus oblivionem accipiet, nec quisquam opera nostra recordabitur, et vita nostra transibit, ut vestigium nubium, et ut caligo quae ante radios solis expellitur, quam calor eius adgravat. Umbra enim quae transit est vita nostra, neque in fine nostro est medicina, quoniam consignata est, et non est qui revertitur. Venite igitur, his bonis *rebus* delectemur, et *rebus* creatis iuventute nostra studiose utamur. Vino lecto atque unguentis impleamur, neve flos aeris nos praetereat. Rosae flosculis coronemur antequam marcescat, neve quisquam nostri voluptate careat usque ad senectutem nostram, et in omni loco symbolum voluptatis nostrae relinquamus, quoniam haec est portio nostra, et haec hereditas nostra' » [1]; qui, ut Moses testificatur [2], « Fuit omnis terra una lingua atque unus sermo, et factum est ut, cum ex oriente migrassent, campum invenerint in terra Sennaar, * [p. 4.] et ibi consederunt, et dixerunt alius alii : 'Venite lateres fingamus, eosque igni uramus'. Et fit eis later pro saxo, et gypsum fit eis pro caemento. Et dixerunt, 'Venite, aedificemus nobis oppidum, et turrim cuius culmen *erit* in caelo, et faciamus nobis nomen, ne super terram dissipemur' » [3]: et sese fatigaverunt et diligenter aedificaverunt, et frustra de turri laboraverunt. Necnon et tribus Ruben [4] et Gad et dimidium tribus Manassis, cum a ceteris tribubus fratrum suorum reversi essent, qui terram promissionis hereditaverant, et Galgalam iuxta Iordanem in terra Chanaan venissent, ibi saxis quae collegerunt aram visu magnam iuxta Iordanem aedificaverunt; et, cum ceterae tribus audiissent, Phinees filius Eleazari sacerdos et primores congregationis, principes exercituum Israel, ad eos profecti sunt, dum de hac *re* eos interrogant; et responsum eis dederunt : « Ut sit testis inter nos et vos, ne postea filii vestri filiis nostris dicant, 'Quid est vobis cum Domino Deo Israel, filii Ruben [4] et filii Gad? *quod en!* Dominus finem dedit inter nos et vos hunc Iordanem'. Et diximus, 'Locum nobis faciamus et aram nobis aedificemus, non in sacrificium, neque in oblationem, sed in testimonium inter nos et vos, et inter generationes nostras post nos' » [5]; et Gedeon porro postquam Madianitas trucidavit pallium stravit, et ab unoquoque inaurem de praeda quam collegerant homines qui cum eo erant

[1] *Sap.*, I, 16-II, 9. — [2] Ob longitudinem clausulae grammatica confusa est. — [3] *Gen.*, XI, 1-4. — [4] Syr. 'Rubhil'. — [5] *Ios.*, XXII, 9-27.

postulavit; et fuit pondus inaurium quas postulavit mille septingenti sicli; et cepit Gedeon, et fecit ex eis luphrā [1], et in oppido suo Ephra statuit; et filii Israel post id erraverunt, et fuit Gedeoni et domui eius in scandalum [2]: et mater porro Michae de monte * [p. 5.] Ephraim ea quoque mille et centum *nummos* argenti a filio accepit, et fecit imaginem sculptam ac conflatam [3]; et Absalom porro filius David ipse vivus imaginem sibi in valle regum statuit, quoniam dixit, « Non habeo qui faciat nomen meum », et imaginem secundum nomen suum vocavit, et vocata est Manus Absalom usque adhuc [4]; praedicat autem et Methodius episcopus Olympi et martyr in libro quem ad Aglaophontem fecit de resurrectione mortuorum de Phidia quoque artifice, ἀνδριάντων fabricatore, eum ἀνδριάντα quendam eburneum visu pulcrum formasse, et ut diu perduraret neve putrefieret neve corrumperetur, oleum sub pedibus eius infudisse, et *partes* ceteras *operis* sculpti unxisse [5]; imagines autem hominum nonnullorum in locis compluribus videmus, et ὑπομνήματα in chartis scripta de rebus nonnullis quae in mundo acciderunt, et ἀνδριάντας in memoriam ac laudem eorum qui obierunt stantes invenimus; quam rectum profecto ac iustum est igitur prudentibus ac studiosis ut post monumenta trium *historiarum* Ecclesiasticarum [6], Eusebii et Socratis et Theodoreti, cetera facta quae variis temporibus fuerunt, quae dispersa sunt neque in uno libro collecta, quantum fieri potest, aut ex epistulis aut e codicibus, aut ex auditu vero, in utilitatem fidelium, et eorum quibus integritas et animae pulcritudo curae sunt, colligantur ac notentur! Fiat commemoratio eorum auxilio Christi Dei nostri, quem precamur ut nobis sapientiam atque eloquentiam det, ut absque confusione veritatem rerum quae acciderunt conscribamus. Quoniam autem in codicibus syriacis in tabula generationum Genesis diversitas quaedam ac perturbatio * [p. 6.] a *textu* graeco est, et defectus haud parvus numeri annorum, iustum est nobis et operi nostro consentaneum et rectum ut initium a libro Genesis sumat; et post hunc librum [7] Asyath, et post eum Silvestri, et κατήχησιν Constantini regis ac baptismum eius, quarum *rerum* accuratione aberravit Eusebius et veritate Socrates (quod non, ut scripserunt, ultimo tempore baptizatus est rex,

[1] Hebr. ephōdh. — [2] *Iudic.* VIII, 24-27. — [3] *Ibid.*, XVII, 1-4. — [4] II *Reg.*, XVIII, 18. — [5] *De Res.*, I, XXXV. — [6] ἐκκλησιαστική. — [7] Sic textus.

quoniam ipsa etiam historia disciplinae eius per Silvestrum *factae* scriptura et pictura in compluribus locis Romae conservatur, ut viderunt et narrant qui [ibi][1] fuerunt et ad nos pervenerunt); necnon de[2] revelatione reliquiarii Stephani et sociorum eius, et de Isaac et Dādhā doctoribus syris. Et hic libro primo finem 5 faciemus, et post eum de ceteris *rebus*, ex eis quos invenimus *fontibus*, in libris et capitibus quae in eis separatim *continentur*, ut infra scriptum est, scribemus, ab anno 32° Theodosii filii Arcadii usque ad annum 880 Graecorum.

Deprecamur autem ne lectores vel auditores nos reprehendant, 10 si reges victores ac potentes non vocamus, et στρατηγούς fortes ac sollertes, et episcopos sacros ac beatos et monachos verecundos ac vita honorabiles; quoniam ut de rebus narremus nobis curae est, Librorum Sanctorum vestigia sequentibus, nec propositum est nobis ut rectores adulatione laudemus ac celebremus, vel 15 aliter credentes ipsi sponte contumelia vituperemus atque exprobremus, nisi modo in codicibus et epistulis quos interpretaturi sumus tale aliquid invenimus.

* p. 7. * CAPUT II, SUPPLICATIO DE COMPUTO TABULAE GENERATIONUM.

Integritati et animae pulcritudini hominem curam semper 20 studiose adhibere oportet. Integritas autem iustitia est quae factis bonis atque acceptis colitur; et animae pulcritudo fides vera ac scientia; et cum hac et dilectio item in fratres νόμου cultus consummatio ac perfectio est, ut dicit sapiens: « Dilectio νόμου observator est; et νόμου intellegentia veritas quae non corrum- 25 pitur; et facta incorrupta Deo proximum faciunt; et concupiscentia sapientiae ad regnum extollit. Sapientia autem verecundiam docet, et iustitiam et fortitudinem; nec quidquam hominibus melius quam ea in mundo est »[3]. Ideoque, cum vilitas mea his rebus studeat, ut a sanctis Scripturis ducar, et mihi magistri sint ut 30 Dei voluntati atque eius veritati diebus carnis meae spiritaliter serviam, ne in vanitate deficiant[4], quando textum libri primi, id est Genesis, [a][1] docto Mose conscripti lingua syriaca legi, in tabula generationum defectus, ut ita dicam, inveni, qui cum textu graeco per Hebraeo diebus Ptolemaei Philadelphi septuaginta 35

[1] In ms. excidit. — [2] Sic textus. — [3] *Sap.*, VI, 18-20; VIII, 7. — [4] *Ps.* LXXVIII, 33.

νόμου et scripturae Iudaeorum peritos per interpretationem facto non congruunt; et de hac *re* profecto dubitavi, quod tempore quod *se* usque adhuc *extendit* annorum octingentorum et quadraginta et amplius, e quo hic textus a Ptolemaeo factus est, qui 5 a Domino auctore causarum in utilitatem multorum commotus est, non a doctoribus sanctae ecclesiae probatum est * et in * p. 8. codicibus syriacis etiam firmiter sine perturbatione notatum, ne lectoris mens perturbetur. Quapropter in dilectione Christi obsecro prudentiam tuam, ut petitio mea utilitatis mihi a te praestetur. 10 dum verbum Scripturae recordaris: « Ne retineas donum tuum ab humili; et precem pauperis ne deseras. Inclina aurem tuam eique humilitate responde »[1]; et rursus: « Qui te rogat, da ei »[2], et, « Secundum vires tuas responde proximo tuo; quoniam ab homine *est* cogitatio cordis, et a Domino sermo linguae »[3]; et 15 rursus « Sors contentionem dissolvit; et frater qui a fratre suo adiuvantur, ut urbs ab arce sua »[4]; et causam perturbationis codicis tabulae generationum, qui cum textu Graecorum non congruit, scribe ac mihi indica, ut eam lucide intelligamus, et mens mea pacem accipiat, et a morbo erroris sanetur; quoniam 20 « Lingua sapientum medetur »[5]; quod, cum zelus tuus haec fecerit, lucrum erit omni qui in hoc libro syriaco leget, quod rationem intellexit. Vale in Domino nostro.

CAPUT III, RESPONSUM AC DEFENSIO SENSUS COMPUTI TABULAE GENERATIONUM DOMUS ADAM ET CETERORUM.

25 Qui in νόμῳ Domini « die ac nocte meditabitur » vere, secundum verbum Spiritus apud prophetam « erit ut arbor iuxta rivulum aquae plantata, qui fructus suos tempore suo dabit, cuius folia non decident, et quidquid faciet complebitur »[6]; et « Qui legit intelleget »[7]. Et, quia « dulciora sunt verba tua palato meo quam 30 mel ori »[8], *ea* cum studio tuo concordare ac congruere inveni, quod maledicto liberum est quia opus Domini cum neglegentia non facit, ut dicit * *versio* graeca apud Ieremiam[9]. Ideoque * p. 9. diligentia tua [ab][10] exiguitate mea accepta est, et zelum tuum laudavi, et sapientiam tuam celebravi, quod Scripturae memini

[1] SIR., IV, 3, 4, 8. — [2] MATTH., V, 42. — [3] SIR., XIV, 13 (?); *Prov.*, XVI, 1. — [4] *Ibid.*, XVIII, 18, 19. — [5] *Ibid.*, XII, 18. — [6] *Ps.* I, 3. — [7] MARC., XIII, 14. — [8] *Ps.* CXVIII, 103. — [9] IER., XXXI, 10 (LXX). — [10] In ms. excidit.

quae dicit : « Da sapienti occasionem, ut sapientior fiat, et iusto indica, ut ad scientiam adiciat »[1]. Et curam meam ut animal in *latibulo* eius dormiens ad effectum essentiae eius concitavit studium tuum ; et, cum petitio tua mihi nimis difficilis sit, et diligentia tua gravior ac maior quam vires meae, et sapientem recorder qui dicit, « Ne sis lingua gloriosus ; quoniam sermo multus lassitudo est carnis, et multos libros scribendi non est finis »[2] (in multis enim est peccare), et David prophetam « Vir linguosus non stabilietur in terra »[3], *timore oppressus sum* ea quae mihi, frater noster, scripsisti adgredi ; quoniam « Cuncta dicta laboriosa sunt »[4], secundum verbum sapientis. Sed, quoniam « Omnis sapientia a Domino est, eaque cum eo est a saeculis » ; et mandat Scriptura ut « cunctae sermocinationes in viis sint Domini » ; et « Verbum sapientis audiet prudens, et ei gratias aget et ad id adiciet » ; et « Qui Dei cultum quaerit doctrinam accipiet » ; et, « Qui idoneus *est* omnia scrutabitur » ; et, « Vir non satiabitur loquendo » ; et, « Cor sapientis in dextra eius » ; et, « Sapientia clara est et incorrupta ; et facile ab eis qui eam amant videtur ; et manifestatur eis qui eam quarere cupiunt ; et constans *est*, et in omnibus cogitationibus eis occurrit. Initium enim concupiscentiae eius est veritas et eruditio ; et eruditionis cura dilectio est »[5], cum ad haec et ad hunc[6] et ad exemplar Domini luminum[7] refugiam, quod mihi videtur sagacitati tuae scribo, ut, si placebit, * accipiamur, sive rursus haud commodum erit, non reprehendar, quod paucitas scientiae non est voluntas mea. Spiritus[8] enim sanctus a fraude fugit [dum][9] a cogitationibus scientia carentium remotus est ; quoniam « Quicunque e labiis suis profert scientiam virum corde indigentem virga feriet » ; nam « Cor sapientis tantum oris eius sermonem sciet, et labiis eius addet doctrinam » ; et, « De fructibus oris viri venter eius satiabitur, et de rebus labiorum eius satiabitur » ; quoniam « Lucerna Domini spiraculum est hominum ; et cuncta ventris conclavia scrutatur »[10]. Populus Iudaeorum, ut breviter dicam,

* p. 10.

[1] *Prov.*, IX, 9. — [2] SIR., IV, 29 ; *Eccl.*, XII, 10. — [3] *Ps.* CXXXIX, 11. — [4] *Eccl.*, I, 8. — [5] SIR., I, 1 ; IX, 13 ; XXI, 18 ; XXXII, 14 ; XXXIV, 9 ; *Eccl.*, I, 8 ; X, 2 ; *Sap.* VI, 13, 17-19. — [6] Sapie… …ii (?). — [7] IAC., I, 17. — [8] Cum adiectivum et *participia fem.* sint, an persona divina innuatur dubium est. — [9] In ms. excidit. — [10] *Prov.*, X, 13 ; XVI, 23 ; XVIII, 20 ; XX, 27.

quando cum populis commixti sunt, facta eorum didicerunt, et idola eorum timuerunt, et fuerunt eis in scandalum ; et propheta testificatur, « Secundum numerum oppidorum tuorum fuerunt di tui, Iuda »[1]. Post enim regem ac prophetam sapientem David Salomon cor suum senectute sua non perfectum fecit cum Deo ut David pater eius, sed mulieres extraneas sidonias et ammonitidas et ceteras adamavit[2]. Et Roboam filius eius quod malum *est* coram Domino fecit ; et « Sesac rex Aegypti, anno 5° Roboam, primus contra Hierosolyma adscendit » eaque expugnavit, et cepit gazam domus Domini, et gazam domus regis, et omnia scuta aurea quae fecit Salomon[3]. Et Ieroboam porro filius Nabat, rex Israel, peccavit et populum peccare fecit, et vitulum aureum in Samaria fecit, et Hierosolyma adscendere vetuit ; ideoque Phul Assyrius Israel quoque adortus est, et a Manahem rege Israel donum accepit, et reversus est. Necnon et Theglath Phalasar contra Israel adscendit et captivos fecit, et descendit. * Et Phacee porro cum rege ipsius Iudae pugnavit, et captivos a Iuda fecit, ducenta milia, et duodecim myriadas uno die mactavit. Et Salmanasar contra Samariam adscendit, eamque expugnavit ; et omnem Israel in captivitatem abduxit, post CCL annos regni eorum in *urbe* Samaria, tribu Iudae et rege eorum exceptis, [et] descendit. Et post eum Sennacherib urbes praecipuas Iudae vastavit, praeter Hierosolyma quae servata sunt. Et Iosias rex vir iustus, qui cum Pharaone claudo[4] pugnavit, occisus est ; et Ioachaz filium eius in captivitatem abduxit, et Hierosolymis captivos fecit, eaque expugnavit ; et pro eo regem fecit Ioakim. Et, *annis* 3° et 10° regni eius, adscendit Nabuchodonosor, et captivos fecit, et vasa sacra, et Danielem formosum et socios eius Niniven et Babylonem deportavit. Necnon, *anno* 11° regni Sedeciae, rursus adscendit et Hierosolyma expugnavit, et templum combussit, et Sedeciam caecavit, post aedificationem eius annis CCCCXLII, et regnum Iudaeorum etiam abolevit. Ioas autem rex, qui ante haec tempora *erat*, Zachariam filium Ioiadae sacerdotem et scribam, ut indicat liber Chronicorum[5], gladio mactavit. Et Ioakim porro volumen quod scripsit Baruch ex ore Ieremiae, quod Iudi a conclavi Elisamae attulit, postquam tres *vel* quattuor

* p. 11.

[1] IER., XI, 13. — [2] III *Reg.*, XI, 1-4. — [3] *Ibid.*, XIV, 25, 26. — [4] Ita reges Necos et Apries a Syris appellantur. — [5] II *Chr.*, XXIV, 22.

columnas legit, scalpello scribae scidit, et prunis quae super caminum *erant* iniecit. His *rebus*, quas rapide dilectioni tuae scripsi, quae Israel et Iudae acciderunt, liber νόμου contemptus est, et periit, et abolitus est, * donec Esdras scriba, post annos cxxx captivitatis, Olympiade 80ª, diebus Arṭaḥšašt Longimani, adscensu captivitatis secundo, adscendit et libros memoriter scripsit ut ostendit [1], et doctrinam tradidit. Sed etiam Ptolemaeus 'Bar Arnĕbhā [2], et Antiochus Epiphanius [3], et Pompeius, et Hadrianus variis temporibus Hierosolyma vastaverunt et expugnaverunt, et νόμον aboleverunt, et scripturam libri Urāithā [4] combusserunt. Solus vero inter haec, post Ptolemaeum Bar Arnĕbhā, Ptolemaeus Philadelphus a Domino excitatus est, et LXX scribas lege doctos adsumpsit, et LXX diebus in Pharo libros Mosis exscripserunt, et graece versi ac notati sunt in bibliotheca [5] Alexandriae, et in utilitatem et ministerium Spiritus praeparati sunt, et lectionem item populorum qui futuri erant, ut scientia initiarentur per voluntatem Dei Patris et Domini spirituum, et passiones voluntarias Christi Dei et dispensationem eius in carne, et operationem Spiritus sancti Paracleti. Et haec singulatim ita *facta sunt*. Et post passiones Symmachus ebionita [6], et Theodotion et Aquila; necnon tres textus codicum qui cum his fuerunt, qui nominibus auctorum non notati sunt, graece scripti sunt. Codex autem syriacus Genesis, ut ab Epiphanio episcopo Cypri dicitur [7], ab uno e sacerdotibus quos Salmanasar rex in exilium deduxit, qui ad populum Samaritanorum missus est, qui de Babylone et de Cutha et de Avah, et de Emath, et de Sepharvaim erant, qui in terra Israel eius loco collocati erant, et vastationem leonum qui eos ibi adorti sunt timuerunt et νόμον postulaverunt [8], * lingua syriaca scriptus est; et ob hanc *causam* ab accuratione tabulae generationum patrum, ab Adam usque ad Abraham, a codice et textu *versionis* graecae nonnihil deminuit vel auget; quod si leges et probabis invenies. Computum autem annorum, cum χρόνον ac tempus *tot generationum* quot volueris sumes, ita sumes. Anni numerantur quot vivit unusquisque atavorum nostrorum, donec genuit; quoniam soboles eius computum annorum intravit, donec

[1] I (III) ESDR., IX, 37-48 (?). — [2] Sc. 'fil. l[illegible]oris' = υἱός Λάγου, ut a Syris intellegebatur. — [3] Sic. — [4] Sc. Thōrā = lex mosaica. — [5] βιβλιοθήκη. — [6] Ms. 'WB'YTYS'. — [7] *Panar.*, VIII, VIII (?). — [8] IV *Reg.*, XVII, 24-28.

ipse etiam gignit. Computus autem de textu *versionis* graecae, cum syriaca ἀκριβείᾳ comparatus, *is* est ut defectus *versionis* syriacae agnoscantur *esse* anni mille trecenti septuaginta quattuor, qui ita deficiunt, ab Adam usque ad Abraham. Cum textu syrorum interpres quidam linguae eius uteretur, et accuratione computi annorum tabulae generationum, contra Sem scribit, dum librum Genesis interpretatur : « Is est Melchisedech qui Abraham obviam venit, qui XCIX annos natus erat, quando a caede regum reversus est, eique benedixit, et decimam ab eo accepit Melchisedech ». In computo autem *versionis* graecae temporibus Abraham mortuus erat Sem plus quam quingentis annis. Et is *est* Melchisedech cuius nec nomen patris nec nomen matris in genealogiis scriptum est [1], quod de populis fuit ; et is Iebus aedificavit et in ea regnavit, quae postea Hierosolyma appellata est, ut sapiens Iosephus, Iudaeorum auctor, clare ostendit [2], ante initium vitae Abraham octoginta annis plus minus. Epiphanius autem episcopus * Cypri, quando contra haeresim Melchisedecianorum tractatum quendam scripsit, dum Aristorrhactae (?) defensionem facit, in eo visionem sibi apparuisse docuit matrem Melchisedech vocatam esse Salathiel, et patrem Heraclam, eumque de populo Chanaanaeorum fuisse [3]. Bene vero scribit *versio* syriaca Mathusalam annos CLXXXVII natum genuisse Lamech, quod Mathusala sex annis ante diluviem mortuus est, ut oportet et accidit; quoniam *versio* graeca scribit eum CLXVII annos natum genuisse Lamech; tota autem vita Mathusalae [4] est CMLXIX anni, ut dixit graeca *versio* et syriaca pariter. Ergo secundum textum *versionis* graecae inveniuntur XIV anni quos vixit post diluviem; quod non est; quoniam octo animae, secundum verum Scripturae testimonium, arcam intraverunt, et a diluvie conservatae sunt, et rursus ab ea exierunt et in terra constitutae sunt, et oppidum aedificaverunt idque de nomine numeri sui Tĕmonun nominaverunt [5]. Et testis huius erroris graecorum, quamquam et eum haud correctum reliquit, Eusebius caesariensis, in commentatione a se composita : « Quae est lingua primaria ? » [6], in qua dicit « Si annos ab Adam usque ad diluvium computabis, invenies aliquem viginti annis

[1] *Hebr.*, VII, 3. — [2] *A. I.*, I, X, 2 ; *B. I.*, VI, X. — [3] *Panar.*, LV, II ; cf. *P. Gr.*, XXVIII, 526. — [4] Ms. 'Lamech'. — [5] EUTYCH., ed. CHEIKHO, I, 14 (*P. Gr.*, CXI, 916). T. = octo eorum. — [6] Alibi ignota.

maturius quam quod de eo scriptum est mori. Nec tibi id explicabo, ne adquisitis confidas neve ipse doctrinae studeas ». Computum autem tabulae generationum, *versionum* graecae et syriacae, canonibus infra *datis* scire poteris.

(tabulam vide in sequente pagina)

* p. 16. *Colliguntur autem anni ut supra scriptum est in *versione* Graecorum singulatim ab Adam ad annum 70um Thare, qui genuit Abram, MMMCCCXXVII; et in *versione* porro syriaca MCMLIII, qui *versione* graeca MCCCLXXIV pauciores sunt. Et haec scientiae tuae sufficiunt quae ordinem ac veritatem computi tabulae generationum doceant a versione LXX, secundum sensum *textus* graeci. Ergo computo graecorum addendi sunt amplius anni viginti qui annis Mathusalae deficiunt, *ita* ut accuratione computi quam maxime probati ac veri ab initio vitae Adam usque ad initium vitae Abraham inveniantur anni MMMCCCXLVII; et ab initio vitae Abraham usque ad mortem Mosis DXLV; et a morte Mosis et regimine Iosue Bar Nun usque ad mortem Samuelis et Saulis regis anni CDXLVI; et ab initio regni David usque ad *annum* 11um Sedeciae et vastationem Hierosolymorum et incendium templi anni CDLXXXV et dimidium; et in captivitate fuerunt usque ad *annum* 2um Dāryāwuš et aedificationem templi annos LXX; et ab anno 2° Dāryāwuš usque ad nativitatem Domini nostri, quae *est* annus 310 Alexandri, anni DXVI et dimidium; et a nativitate Domini nostri usque ad *annum* 880 Alexandri anni DLXX *ita* ut ab Adam usque ad *annum* 880 Alexandri et finem Olymp. 336^{ae} inveniantur anni VMCMVIII. Quoniam autem ob causam variationis * p. 17. * textus *versionis* syriacae a graeca nobis tabulae generationum computum facere necessarium fuit, ab Adam usque ad initium vitae Abraham, ne, dum cetera [extense] scribimus, sermonem hic datum denuo iteraremus, operi nostro consentaneum erat ut ab initio vitae Abraham usque ad hoc tempus capitibus succinctis supra notatis scriberemus. Res vero quae his temporibus acciderunt en! sanctae Scripturae indicant et in Novo *Testamento* et in Vetere, et Chronicon Eusebii ab apostolis et usque ad Constantinum; et a Constantino *Historia* Ecclesiastica [1] Socratis et Theodoreti, usque ad *annum* 32um Theodosii minoris. Et ab hoc [tempore] usque adhuc hic, [quoad] valuimus, ... [2] ex ordine

[1] ἐκκλησιαστική. — [2] Lacuna in ms.

* p. 15.

	* Computus *vers.* gr. tab. generationum :	Computus *vers.* Syrorum :	Deficiunt :
I.	Adam ann. CCXXX natus genuit Seth.	Ann. CXXX natus.	Def. [C].
II.	Seth ann. CCV natus genuit Enos.	*Ann.* CV natus.	Def. C.
III.	Enos ann. [CXC] natus genuit Cainan.	*Ann.* XC natus.	Def. [C].
IV.	Cainan ann. [CLXX] natus genuit Malaleel.	*Ann.* LXX natus.	Def. [C].
V.	Malaleel ann. [CLXV] natus genuit Iared.	*Ann.* [LXV] natus.	Def. [C].
VI.	Iared ann. CLX[II] natus genuit Henoch.	*Ann.* CLXII natus.	Pares [sunt].
VII.	Henoch ann. CLX[V] natus genuit Mathusalam.	*Ann.* LXV natus.	[Def.] C.
VIII.	Mathusala ann. C[LXVII] natus genuit Lamech.	Ann. CLXXXVII natus.	Exc. XX.
IX.	Lamech ann. CLXXXVIII natus genuit Noe.	*Ann.* CLXXXII natus. [1]	
X.	Noe ann. D natus genuit Sem.	*Ann.* D. natus.	Pares sunt.
XI.	Sem ann. CII natus genuit Arphaxad [2].	*Ann.* CII natus.	Pares sunt. [3]
XII.	Arphaxad [2] ann. CXXXV natus genuit Cainan.	*Ann.* XXXV natus.	Def. C.

In *versione* syriaca deest Cainan, sed dicit « genuit Sale » [4]. Lucas autem genealogiam scribendo Cainan praetermittit, et in graeco codice eum praetermittit [5].

XIII.	Cainan ann. CXXXIX natus genuit Sale.	Versio syr. omnes ann. eius omittit.	
XIV.	Sale ann. CXXX natus genuit Heber.	*Ann.* XXX [6] natus.	Def. C.
XV.	Heber ann. CXXXIV natus genuit Phaleg.	*Ann.* XXXIV natus.	Def. C.
XVI.	Phaleg ann. CXXX natus genuit Reu.	*Ann.* XXX natus.	Def. C.
XVII.	Reu ann. [C]XXX[II] natus genuit Sarug.	*Ann.* XXXII natus.	Def. C.
XVIII.	Sarug ann. [CXXX] natus genuit Nachor.	*Ann.* XXX natus.	Def. C.
XIX.	Nachor ann. LXX[IX] natus genuit Thare.	*Ann.* XXIX natus.	Def. L.
XX.	Thare ann. LXX natus genuit Abram.	*Ann.* LXXV natus	Exc. V.

[1] Excessus hic et in summa infra data neglectus est. — [2] Syr. 'Arpakhšar'. — [3] Numeri syri et adnot. huius et seq. notitiae in ms. permutata sunt. — [4] *Gen.*, XI, 12. — [5] Luc., III, 36. — [6] Ms. 'XXXIX', quod cum summa et defectu et cum Peš. discrepat.

rapide scribimus. A computo autem Iosephi, et a duabus *vel* tribus commentationibus, quarum auctorum nomina ignota sunt, incipit saeculum septimum, e quo sol obscuratus est et terra quassata est et fuit post paulum pestis universalis.

CAPUT IV, SUPPLICATIO DE HISTORIA ĀSYATH ET IOSEPH ; EPISTULA DE HAC *RE* AD MOSEN INGILAE [1].

Liber sapientis, o *vir* eximie, dicit : « Qui tempore suo loquitur, bene est » ; et « Gloria regis quicunque scrutatur sermonem » ; et « Ut pomum aureum in calice argenteo *est* qui sermonem loquitur » ; et « Qui deliberant, sapientes sunt » ; et « Dominus sapientes corrigit ; et in manibus eius sumus nos et sermones nostri » ; et « Verba oris sapientis gloria *sunt* » [2]. Ideoque « Quidquid manus tua facere inveniet fac », Scriptura nos admonet ; et, ut ‘verba sapientum et aenigmata eorum’ [3] scrutari nobis curae sit, bene facimus ; nam « Cor sapiens sermonem * sapientum intelleget, et auris quae audit gratias aget » ; quoniam « Os sapientis in concilio quaeritur, et sermoni eius animadvertent » [4] ; « Sapiens enim sapientiam non relinquit absconditam, sed eam valde explorabit » [5] ; et « Qui idoneus est omnia scrutabitur » [6] ; et Paulus adfirmat omnem Scripturam, quae Spiritu scripta sit, utilem esse ‘ad doctrinam et ad reprehensionem et ad correctionem et ad institutionem in iustitia’ [7]. Et sane, cum haec considerem, dilectioni tuae veritatem scribo ; et deinde obsecro ut petitio mea a te concedatur, de eis *rebus* quas utili spiritus desiderio a te rogo. In bibliotheca enim episcoporum memorabilium qui vocabantur familia Beith BRW’ [8] ex urbe Riš‘ainā, apud puerum quendam eorum genti propinquum cui nomen Mār‘abhdā, mihi in Dño nostro dilectum, et mihi familiaritate sua a pueritia mea coniunctum [9], librum quendam parvum inveni antiquissimum, qui vocatur liber Āsyath, graeca [lingua] conscriptum ; et ἱστορίαν tantum eius legi, et θεωρίαν non intellexi. Et, quoniam haec lingua mihi difficilis atque aliena est, hac de causa eum ad dilectionem tuam misi ut tu eum mihi in linguam syriacam

* p. 18.

[1] Vide DUVAL, *Lit. syr.*, p. 364 ; BAUMSTARK, *Gesch. d. syr. Lit.*, p. 160. — [2] *Prov.*, XV, 23 ; XXV, 2, 11 ; XIII, 10 ; *Sap.*, VII, 15, 16 ; *Eccl.*, X, 12. — [3] *Eccl.*, IX, 10 ; *Prov.*, I, 6. — [4] SIR., III, 29 ; XXI, 17. — [5] Cf. SIR., XX, 30, 31. — [6] *Ibid.*, XXXIV, 9. — [7] II *Tim.*, III, 16. — [8] Berrhoeae (?) — [9] Sic textus ; absurdum vero videtur.

vertas, cum ἱστορίᾳ eius universa, et nonnihil de θεωρίᾳ eius mihi explices, ut Dominus tibi scientiam dat (quoniam ‘omnis sapientia a Domino est, et eius ipsius spiritum omnibus dat ut ipsi [1] placet’ [2]) ; et desiderium meum a te statim expleatur, cum ea quae supra *scripta sunt* consideres, et mandatum Domini tui compleas quod dicit : « Qui te rogat da ei, et eum qui petit a te ne prohibeas » [3]. Ideoque obsecro ut hunc [4] scribas, et ad me mittas, ut, dum in eo meditor, auctori causarum Domino gratias agam, et fraternitatis tuae curae, quae fratrem suum in Christo adiuvat ‘ut * urbs quae ab arce sua’ adiuvatur [5], et de [vicino] suo bene sentit, ut de se ipsa, secundum verbum Scripturae [6].

* p. 19.

CAPUT V, RESPONSIO AD EPISTULAM.

Gratias curae Dei qui super omnia *est* de prudentia tua quoque, qui non *es* ut ceteri reliqui qui virtutes et eruditionem deseruerunt, et dies suos in vanitate consumunt, et in negotiis atque inanitatibus mundi versantur, et spiritus vexatione [7], ut Demas qui Paulum peritum deseruit, et mundum dilexit, et qui in Asia *erant*, qui ab eo aversi sunt, et Phygellus [et Her]mogenes [8], vel corporis porro [μ]ωρίας et ciborum varietatem quaeris, ut ei « quorum Deus est venter eorum, et gloria opprobrium eorum, quorum mens tota in terra est » [9] ; qui mentiuntur ut filii Cretae, *qui mentiuntur ut de* MKSNYDYS [10] *quodam propheta ipsorum dixit* : « Filii Cretae semper mentiuntur, malae bestiae et ventres pigri » [11] ; sed operam das ut passionibus libereris, et veritatis amori [ac] scientiae, ut dicit Evagrius ἀγωνιστής [12] : « Unus est gustus bonus qui in saeculum perdurat, qui est veritatis scientia » ; et rursus « Intellectus quanto passionibus denudatur, tanto magis rationem inspicit ; et quanto studium eius adsiduum est, tanto scientia eius ditatur ». Et, quemadmodum verecundia tua in Christi amore fraterne incepit, et vilitatem meam praeceptorem atque auxilium invocavit, ut in eo quod tibi difficile fuit ducat, hoc eius est ἀρετή ; exiguitas vero mea, cum typum essentiae suae consideraret, *diligentiae tuae responsum facere dubitavit, sapientem recordata

* p. 20.

[1] Fem., sc. ‘spiritui’. — [2] SIR., I, 1, 9, 10. — [3] MATTH., V, 42. — [4] Sc. ‘librum’. — [5] *Prov.*, XVIII, 19. — [6] *Lev.*, XIX, 18. — [7] *Eccl.*, I, 17. — [8] II *Tim.*, IV, 10 ; I, 15. — [9] *Philipp.*, III, 19. — [10] Vide *Classical Review*, XXXIV, 100. Requiritur potius ‘ut M. quidam .... dixit’. — [11] *Tit.*, I, 12. — [12] Ev. Ponticus. Has citationes in operibus eius editis non inveni.

qui dicit « Qui cohibet labia sua intellegens est » ; et rursus « Omni cautione cor tuum custodi » ; et rursus « Os festinum ruinae propinquum est » ; et rursus « Quicumque os suum custodit, animae suae cavebit » ; et rursus « Gloria Dei *est* quicumque celat verbum » ; et « Qui cordi suo confidit, stultus est » ; et rursus « Cuncta dicta laboriosa sunt » ; et « Ne sapias nimium ne obstupescas » ; et rursus « Fili, cave multos libros scribere, quorum non est finis ; et sermo multus lassitudo est carnis » ; et rursus, « Festinus es audire, [et] cum segnitudine da dictum ; et, si dictum habes, responde propinquo tuo : sin autem, manum tuam super [os tuum] pone » [1]. Et haec quidem timore fecissem, et tacuissem, nisi dilectio me coegisset, et Scriptura me confirmaret, quae dicit, « Qui te rogat, da ei » [2]; et sapiens etiam mandat « Ne bonum facere recuses quantum facere vales, et, dum habes, ne dicas socio tuo, ' I et veni iterum cras et dabo tibi ' » ; et « Qui verbum contemnit, eo perdetur » ; et « Qui socium suum despicit peccat » ; [et] [3] « Medicina linguae arbor [4] est vitae ; et qui de fructibus eius comedit satiabitur » ; et « Gaudium viri verbum oris eius ; et qui tempore suo loquitur bene est ei » ; et « Qui verbum cognoscit bonum inveniet » [5]; et « Sapientia et verecundia et scientia a facie Domini [illegible]t [6], et dilectio et via bonorum factorum a praesentia eius sunt » [7] ; ut E[vag]rius dicit : « Natura sciens scientiam probat ; atque eadem scientia scientem purificat » [8] ; et rursus « Quisquis in creatione Dei scientiae capax est, et magis quam hanc scientiam honorat * inscientiam, iuste malus vocatur » ; et rursus dicit Scriptura : « Rogate et accipietis, et pulsate et aperietur vobis; et vocate et exaudiemini » [9]; et rursus « Si sapientiae inops Deum rogabit, dum non haesitat, dabitur ei » [10]. Ideoque, o *vir* eximie, his de *causis* et ob dilectionem quae ' sua non petit ' [11], sed propinqui sui, petitionem tuam perficere adgredior. Ἱστορίαν enim libri antiqui graeci quem ad me misisti legi, et θεωρία ei inest ut breviter dicam veritas, Deum

* p. 21.

[1] *Prov.*, x, 9 ; iv, 23 ; x, 14 ; xiii, 3 ; xxv, 2 ; xxviii, 26 ; *Eccl.*, i, 8 ; vii, 17 ; xii, 13 ; Sir., v, 11, 12. — [2] Matth., v, 42. — [3] In ms. decidit. — [4] Ms. ' scientia '. — [5] *Prov.*, iii, 27-28 ; xiii, 13 ; xiv, 21 ; xv, 4, 23 ; xvi, 20. — [6] Sic textus. — [7] Hoc non inveni ; cf. *Prov.*, ii, 6-9. — [8] *Cent.* V, lxxvi (ed. Frankenberg, p. 352). Citationem sequentem non inveni. — [9] Matth., vii, 7. Ultima clausula in nostris textibus non invenitur. — [10] Iac., i, 5, 6. — [11] I *Cor.*, xiii, 5.

nostrum Dominum nostrum Verbum qui Patris voluntate et operatione Spiritus Domini sancti incarnatur, et [inhumanatur] et animae cum sensibus eius perfectis adunatur [1] . . . . .

CAPUT [VI] [2], HISTORIA IOSEPH IUSTI ET ĀSYATH UXORIS EIUS [3].

Et factum est anno 1° septem annorum ubertatis, *die* 5° mensis 2^i, *ut* Pharao miserit Ioseph per omnem terram Aegypti circumiturum ; et mense 4° anni 1^i Ioseph ad fines regionis On, quae graece vocatur Heliopolis, pervenit, quod is frumentum regionis illius coacervabat ac colligebat, ut arenam maris [4]. Et erat vir in illa urbe, unus e praesidibus et primoribus Pharaonis, et hic vir ditissimus fuit ac sapientissimus et placidus, et consiliarius fuit Pharaonis, et nomen eius Putiphare sacerdos On urbis ; et erat ei filia virgo specie pulcra, annos xviii nata, cuius species omnes virgines per * illam terram superabat et filiarum [5] illius populi. Et erat procera ac praeclara ut Sara et pulcra ut Rebecca [6] et eximia ut Rachel ; nomen vero ei fuit Āsyath ; et pulcritudo eius per totam illam terram celebrata erat ; et omnes primores et praesides et filii regum et omnes adulescentes potentes eam laudabant : et erat pugna ac contentio inter eos de ea. Et primogenitus Pharaonis de ea audiit, et patri suo supplicabat ut eam ei in uxorem daret ; et dixit « Da mihi Āsyath filiam Putiphare sacerdotis On uxorem ». Et dixit ei Pharao, « Quare, cum tu rex es ac terrae dominator, uxorem vis te inferiorem ? En ! filia regis Moab eximia est et tibi apta ». Fuit autem Āsyath superba ac gloriosa et omnem virum contemnebat, nec quisquam eam unquam cognoverat. Et erat turris quaedam

* p. 22.

[1] Finis huius capitis deest. — [2] In ms. excidit. — [3] Huius cap. versio lat. ab Oppenheim (Berolini, 1886) edita est. Fabulae textus gr. et lat. a Batiffol (*Studia patristica*, fasc. 1, 2 ; Parisiis, 1889-90) editi sunt et textus gr. (quem non vidi) ab Istrin (Mosquae, 1898). Versio armen. in diario Mechitaristarum *Barmazep*, XLIII, 200, et XLIV, 25 (Venetiis, 1885-6) ; et a Basile in *Apocr. Arm. V. T.* (mihi incognito ; vide *Jewish Encylopaedia*, et Hastings, *Bible Dict.*, s. v. Asenath) Venetiis, 1896, edita est, et partes euis cum versione gallica a Carrière (*Nouveaux Mélanges Orientaux*, Parisiis, 1886, p. 490). Versio slavica a Novokovič in diario *Starine*, IX, 27 (Zagreb, 1877), edita est. Textum graecum ego (Londinii, 1918) anglice reddidi, et vers. arm. Issaverdens (Venetiis, 1901). — [4] *Gen.*, xli, 49. — [5] Sc. ' speciem '. — [6] Syr. ' Raphqā '.

magna atque altissima, et domui patris eius contigua. Et supra hanc erat domus quaedam magna, in qua cubicula erant decem. Et primum eorum speciosum *erat* ac pulcre ornatum lapidibis bonis diversis, et lacunar eius auro obductum, et in parietibus eius cuncti di Aegyptiorum aurei atque argentei ordine stabant, et cunctos verebatur ac colebat et *cunctis* libabat cottidie Āsyath. In cubiculo autem secundo erat aurum atque argentum, et lapides boni ac pretiosi, et omnia decora ornamentorum, et vestium virginitatis Āsyath. Et tertium erat eius habitatio; et in eo erant omnes fructus, et omnes boni * terrae cibi. In reliquis autem septem conclavibus septem virgines singulatim habitabant, quae ipsae Āsyath ministrabant, et erant aequales eius, et eodem die natae; et specie sua pulcrae erant, et ut stellae caeli splendebant; nec vir eas cognoverat vel adulescens ullus eas adlocutus erat. Et cubiculo Āsyath virginis tres erant fenestrae; et una earum ampla *erat* et aulae opposita, et in orientem spectabat; et secunda in meridiem versa erat, et tertia in septentriones spectabat, in plateam ut praetereuntium spectaculum praeberet. Et lectus qui totus aurum *erat* sub fenestra orientali positus erat, et tegumentis aegyptiis auro [et][1] purpura et cocco et bysso textis stratus; et in hoc dormiebat Āsyath, nec quisquam in eo unquam consederat. Et aula magna illam domum circumibat; et aulam murus cingebat exstructione *lapidum* caesorum munitus; et aula quattuor portas habebat ferro obductas; hasque adulescentes armati duodeviginti custodiebant; et aulae arbores pomorum variorum, fructu aestivo maturae, contiguae erant; et, a dextra aulae, fons aquae vivae; et sub fonte cisterna aquae vivae; et ex hac procedebat rivulus, et per mediam aulam transibat, atque omnes illas arbores irrigabat. Et factum est anno 1° septem annorum ubertatis, die 18° mense 4°, *ut* Ioseph ad horreum urbis On pervenerit; et is frumentum annorum septem ubertatis colligebat ac coacervabat. Et, cum urbi On adpropinquasset, ante se duodecim viros ad Putiphare sacerdotem misit et dixit: « Ad te veniam meridie tempore panis, et ab * aestu meridiei in domo tua requiescam ». Et audivit Putiphare, et gaudio maximo gavisus est; et dixit « Beatus est Deus Ioseph, quod me dominus meus Ioseph hac *re* dignum aestimavit ». Et vocavit Putiphare procu-

[1] In ms. decidit.

ratorem domus suae, et dixit ei: « Accingere et cenam magnam in domo mea para; quoniam hodie Ioseph potens Dei ad nos venit ».

Et audivit Āsyath patrem suum et matrem ex agro advenisse; et gavisa est, et dixit: « Videbo patrem meum et matrem quod ex agro hereditatis nostrae advenerunt ». Et festinavit Āsyath, et vestimenta byssina et hyacinthos auro textos induit; et manibus suis pedibusque armillas ac catenas imposuit, et cervici suae monilia ac torques pretiosas lapidibus bonis et margaritis versicoloribus *factas*; et nomina atque imagines deorum multorum Aegyptiorum in eis undique inscripta et sculpta erant; et capiti suo coronam imposuit, et theristro cooperta est. Et statim e cubiculo suo descendit, et ad patrem suum et matrem venit, eosque salutavit atque osculata est. Et magno gaudio de filia sua gavisi sunt Putiphare et uxor eius, quod eam ornatam videbant ut sponsam Dei; et omnia poma et fruges quae secum ex agro portaverant protulerunt, et Āsyath filiae suae dederunt; et filia eorum his laetabatur ac delectabatur. Et dixit Putiphare Āsyath: « Filia », et ea dixit: « En! ego, domine ». Et dixit ei: « Sede apud nos, et audi id quod tibi loquar ». Et sedit Āsyath iuxta ambos; et Putiphare manum Āsyath filiae suae dextra sua prehendit, eamque osculatus est; et dixit ei: « Filia ». Et ea * dixit: « Dic, domine ac pater ». Et is dixit, « Hodie vir fortis Dei Ioseph ad nos venit, et is in omnem terram Aegypti dominatur[1]; quoniam Pharao rex eum omni terrae praefecit; et ipse est salvator, et frumento ac cibo omni terrae vitam dat ne fame ventura perdatur. Et est Ioseph Dei timens, nobilis et placidus et virgo ut tu hodie; et est Ioseph vir sapientia potens ac scientia valens; quoniam spiritus Dei sancti in eo est, et gratia Domini cum eo. Ideoque age, filia, et te ei in uxorem dabo, et es ei sponsa, et is tibi erit sponsus in aeternum tempus ». Et, cum Āsyath haec patris sui verba audiisset, pudor in vultum eius incidit, et ira ac furore patrem suum intuita est et dixit: « Quare dominus meus ac pater haec verba locutus est, se me viro captivo et fugitivo daturum, et vendito nec populari meo? Nonne hic est filius pastoris de Chanaan, et ipse, cum adulterium in dominam suam adgressus esset, deprehensus est, et dominus eius eum in carcere tenebroso constituit, et Pharao eum e carcere

[1] Cf. *Gen.*, XLV, 26.

extraxit, quia somnium ei interpretatus est ut una ex anibus Aegypti? Minime, pater, ne huic coniungar sed primogenito Pharaonis nubam, quoniam ipse in Aegyptum dominatur ac regnat ». Et Putiphare patientia usus est; et de his *rebus* amplius Āsyath loqui veritus est, quia gloriose cum audacia ei respondit de eis *rebus* quas ei dixit.

Et festinavit adulescens quidam e servis Putiphare, et dixit: « En! Ioseph advenit et ad limen accessit ». Et fugit Āsyath, et a patre suo ac matre recessit, cum * [p. 26.] haec de Ioseph audiisset; et ad turrim adscendit, et cubiculum suum intravit, et iuxta fenestram magnam ad orientem versam stetit, Ioseph patris sui domum intrantem visura.

Putiphare autem et uxor eius et omnes qui in domo eius *erant* Ioseph obviam exierunt. Et portae orientales aulae apertae sunt; et intravit Ioseph curru Pharaonis secundo [1] vectus, cui equi albi iuncti erant, et totus currus auro bono constructus erat. Et Ioseph tunica speciosa *materiae* albae indutus erat, et chlamyde purpurae auro texta amictus; et corona aurea in capite eius *erat*; et in corona erant duodecim sigilla lapidum bonorum; et super lapides radii duodecim aurei ut radii solis fulgentes; et sceptrum regium ⌜aureum sinistra tenebat; et in dextra germinabat quasi ramus olivae [2], et in eo *erant* fructus olivae et filii pinguedinis [3]. Et Ioseph aulam intravit, et portae aulae occlusae sunt; quoniam custodes portarum portas studiose occluserunt, et alienos foras expulerunt. Et venerunt Putiphare et uxor eius ac propinqui eius, praeter Āsyath filiam suam, et Ioseph in terra adoraverunt; et Ioseph curru descendit, eosque dextra sua salutavit. Et vidit Āsyath Ioseph, et valde eam paenituit, et anima eius contristata est et genua eius tremuerunt, et articuli lumborum eius soluti sunt, et languide laxata est, et timore magno timuit, et acerbe ingemuit ac flevit; et in corde suo dixit: « Quid faciam misera ac vilis? Quoniam consiliarii mei alieni me fefellerunt qui mihi dixerunt hunc Ioseph qui advenit filium esse pastoris chanaanaei, et nunc video solem a curru eius qui * [p. 27.] apud nos ingressus est coruscare et splendoribus suis domum nostram illustrasse. Ego autem, audax et stulta, eum contempsi, et fatue de eo locuta sum; quod Ioseph Dei filium esse non sciebam. Quis enim homi-

[1] *Gen.*, XLI, 43. — [2] Textus corruptus esse videtur; gr. ἐν τῇ χειρὶ αὐτ. τῇ δεξιᾷ ἥτις εἶχεν ἐκτεταμένον κλάδον ἐλαίας. — [3] ZACH., IV, 14.

num pulcritudinibus suis ita fulget? quoniam facies eius formosa filios terrae superat. Et quis *est* venter carnis qui tam formosae lucis splendores pariat? Ego vilis *sum* atque inepta, quae patri meo stulte locuta sum. Et nunc quo ibo, et a conspectu eius latebo ne Ioseph Dei filius me videat? Quo fugiam? quod omnis locus coram eo evidenter manifestus ac patefactus est; quoniam lux quae super eo *est* splendet. Et nunc parce mihi, Domine Deus Ioseph, quoniam ignorantia ut una e *mulieribus* ineptis locuta sum. Et nunc sane pater meus me Ioseph in uxorem det, eique in aeternum tempus serviam! » Et Ioseph domum Putiphare intravit, et in solio consedit et pedes eius lavaverunt; et mensam ante eum separatim paraverunt; quoniam Ioseph cum Aegyptiis non comedebat; quoniam hoc respuebat [1]. Et Ioseph turrim spectavit et dixit, « Adulescentulam quae a fenestra prospicit atque audacter spectat amovete »; quoniam Ioseph cavebat ac prohibebat ne femina ulla ad eum adpropinquaret vel ei haereret; quia multae filiae primorum ac praesidum instanter ad eum mittebant, eique ut eum cognoscerent supplicabant, propter pulcritudines divinas quae in facie eius formosa fulgebant; et harum legatos nuntiosque respuebat, eosque a se iracunde depellebat; quoniam dicebat Ioseph, « Non peccabo coram * [p. 28.] Domino Deo patris mei Israel »; et recordabatur etiam mandata Iacobi patris sui, qui ei ceterisque filiis suis mandabat, « Abstinete a muliere aliena; quoniam commercium cum hac corruptio est atque exitium ». Ideoque dixit Ioseph « Abeat a domo illa et discedat adulescentula quae a fenestra turris prospicit ».

Et dixit Putiphare: « Mi domine, adulescentula quam in turri vides non est mulier aliena, sed est filia nostra virgo; et omnem hominem et virum alienum respuit; nec quisquam horum ullo modo ad eam unquam accessit, nisi quod te hodie intuita est. Et, si vis, veniet nobilitatem tuam adoratura ac salutatura. Et, quia filia nostra est, soror tua est ». Et valde gavisus est Ioseph, quia dixit Putiphare « Virgo est ». Et reputavit Ioseph, « Si haec virgo sacra est, et omnem virum alienum respuit, non me vexabit ». Et dixit Ioseph Putiphare et propinquis eius: « Si filia vestra est et virgo testata, veniat; quoniam propinqua mea est, et diligo eam ab hoc die ut sororem ». Et mater Āsyath ad

[1] Cf. *Gen.*, XLIII, 32.

turrim adscendit, et adduxit Āsyath, eamque coram Ioseph constituit. Et dixit Putiphare Āsyath filiae suae: « Adpropinqua, adora, et osculare fratrem tuum; quoniam virgo est tibi similis hodie, et alienam respuit, ut tu virum alienum ». Et dixit Āsyath Ioseph: « Benedicte Dei altissimi, salve! » Et dixit Ioseph: «Dominus causa vitae omnium *rerum* tibi benedicat ». Et dixit Putiphare filiae suae: « Propinqua, et osculare fratrem tuum ». *p. 29. Et, cum adpropinquasset Āsyath, Ioseph * dextram suam porrexit, ac pectori eius inter duas mamillas eius incipientes imposuit; et dixit Ioseph: « Haud decet virum Dei timentem, qui Deo vivo benedicit, et panem vitae benedictum comedit, et poculum benedictum immortalitatis atque incorruptionis bibit, et unguento fragrante sanctitatis ungitur, mulieri alienae haerere *eam*que osculari, quae idolis mortuis vanis benedicit, et de pane fetido strangulati comedit, et de libatione fraudis bibit, et unguento corruptionis ungitur; sed vir Dei timens sororem ⌜matris suae[1], et sororem suam filiam tribus suae ac familiae, et mulierem quae ei nupta est osculabitur, et familiaritate utetur earum quae prope sicut is Deum timent ». Et rursus dixit Ioseph: « Nec licet mulieri Dei timenti viro alieno haerere, quoniam hoc turpe *est* ac respuendum coram Deo vivo ». Et audiit Āsyath haec verba Ioseph; et paenituit eam valde et valde adflicta est; et ingemuit, et intuita est Ioseph; et obstupuit cum aperti essent oculi sui et lacrimis pleni, nec clausi. Et Ioseph eam intuitus est et vidit, et eius misertus est; et Ioseph etiam ingemuit; quoniam ipse placidus *erat* et probus et qui Deum timebat. Et adlevavit manum suam dextram, eamque capiti eius imposuit, et dixit: « Domine Deus Altissime patris mei Israel, fortis Iacobi qui omnia vivificas, is qui a tenebris ad lumen vocat, et ab errore ad veritatem, et a morte ad vitam, tu huic virgini benedic; eamque spiritu renova; eamque dextra tua secreto recrea eamque vivifica et panem vitae aeternae comedat, et poculum benedictum bibat; et cum populo tuo atque hereditate numeretur, quam a principio elegisti; et *p. 30. requiem tuam * cum sanctis tuis intret; et vivat in saecula ». Et Āsyath benedictionibus Ioseph magnopere gavisa est; et statim ad turrim rediit ad cubiculum suum, sola secundum morem suum; et lecto suo incidit angore spiritus ac moestitia oppressa; quoniam,

[1] Gr. τὴν ἐκ τῆς μητρὸς αὐτοῦ.

cum verba audiisset quae dixit Ioseph in nomine Dei Altissimi, gaudium eam obtinebat, et adflictatio et timor multus, et tremor et sudor perpetuus; et flevit fletu magno atque acerbo; et conversa atque aversata est a timore deorum quos colebat, et omnes contempsit ac respuit, eosque detestata est atque increpuit; et expectabat dum vesper adesset. Ioseph autem comedit ac bibit, et dixit servis suis eisque qui ei obediebant ut currum pararent et equos iungerent; dicit enim, « Statim proficiscar, et terram circumibo ». Et dixit Putiphare Ioseph ut apud eos maneret, et amplius requiesceret. Et dixit Ioseph: « Statim abibo, quoniam hic est dies primus, quo Deus omnia super faciem terrae facere incepit. Verumtamen post octo dies ad vos revertar, et hic requiescam ». Et dixit Putiphare et propinqui eius: « Nos etiam ad hereditatem nostram in agrum ibimus ». Et mansit Āsyath sola cum septem virginibus aequalibus suis. Ipsa autem tristis erat et flebat, donec sol occidit; nec panem comedit, neque aquam bibit. Et nox adfuit; et omnes qui in domo *erant* dormierunt; et ipsa sola exsomnis erat ac vigilabat, et meditabatur ac flebat, et pectus suum feriebat; et metu ac tremore oppressa est. Et surrexit a lecto suo; et gradus silentio descendit, et in pistrinum[1] pervenit; et molitrices[2] earumque liberi dormiebant; et velamen * fenestrae detraxit; cineremque in id imposuit, et *p. 31. ad cubiculum suum subvexit, et in solo posuit. Et ostia caute occlusit et etiam seram; et vehementer ingemuit, suspirio ac fletu acerbo oppressa. Et vocem eius audiit virginum una, quae cum ea creverat et cum ea constanter fuerat, et arctius quam sodales eius ei propinqua erat; et sex sodales suas excitavit; et ad ostium una venerunt; et fletum eius ac vocem suspiriorum eius, et gemitus Āsyath audiunt; eique dicunt: « Unde vexaris, domina mea? aperi nobis ut intremus *ac* videamus ». Neque eis aperuit Āsyath, dum dicit: « Caput mihi dolet, et in lecto meo sum, et expedit mihi solam esse in silentio animae meae, neque in conversatione; quoniam omnia membra mea etiam languida sunt, nec valeo surgere *et* aperire. Sed revertimini statim ad cubicula vestra, et silentium tenete secundum consuetudines vestras, et relinquite me ». Et audierunt Āsyath et reversae sunt.

[1] Gr. πυλῶνα (lat. « portam »), pro quo legit Syrus μυλῶνα (Oppenh.). — [2] Gr. θυρωρόν.

Et postea surrexit silenter, et cubiculum suum in quo res eius depositae erant intravit, et arcam aperuit, et inde vestem nigram lugubrem deprompsit quam habuerat e quo frater eius minor [1] mortuus est, et vestem lugubrem ad se sumpsit, et ostium caute occlusit. Et festinavit Āsyath, et vestimenta gaudii sui ac virginitatis exuit, et ornamenta sua a se removit, et cingulum suum aureum solvit, et coronam auream e capite suo detulit, et armillas suas ac catenas a se solvit; eaque cuncta collegit, et de fenestra ad septentriones versa deiecit; et deos omnes idola et sculptos et imagines de locis eorum detraxit, in quibus dispositi erant; et ex eadem illa fenestra proiecit; et sacrificium libationemque mensae eorum, et omnes cibos apparatus eorum * canibus alienis *qui* infra *erant* ut comederent porro ex eadem fenestra praecipitavit ac proiecit; quoniam dixit in corde suo: « Non expedit cibum hunc pollutum ac fetidum canibus domesticis dari, sed alienis ». Et postea cinerem e velamine sumpsit, et in solum cubiculi sui stravit; et lumbos suos sacco cinxit; et cincinnos crinium suorum solvit; et cinerem super eos conspersit ac dissipavit; et pectus suum manibus suis feriebat; et amare flebat, super cinere qui in solo domus eius *erat* totam noctem proiecta. Et mane vidit, et en! a multitudine lacrimarum pupillarum suarum, in fletu magno quem fecerat *effusarum*, lutus compactus erat; et rursus super eundem cinerem cecidit usque ad adventum vesperis. Et sic faciebat Āsyath septem dies; et panem non comedit et aquam non bibit his septem diebus paenitentiae et passionis animae suae et humiliationis suae. Et diluculo diei octavi vox avium caeli audita est, et canes in praetereuntes latrabant; et Āsyath caput suum e cinere erexit, quoniam ob paenitentiam compunctionis animae suae et ieiunium et abstinentiam languida ac fessa erat; et surrexit genibus nixa, et oculos suos ad caelum sustulit, et cinerem crinium suorum excussit, dum adhuc flet et pectus suum ferit. Et sub fenestram ad orientem spectantem accessit; et consedit, et caput suum in genua sua declinavit. Et inter abstinentiam cibique paucitatem septem dierum passionis eius os eius clausum erat; et in corde suo dixit ore septem dies clauso: « Quid faciam? quo ibo? et ad quem fugiam? et quid loquar, virgo orphana et relicta et

* p. 32.

[1] Ita lat. et arm.; gr. πρωτότοκος.

deserta? Omnis caro me odit, et pater meus * ac mater mea posthac, quod deos odio habui et respui et perdidi et pedibus hominum conculcari feci. Pater meus et mater mea et propinqui mei dicent, 'Non est filia nostra Āsyath, quia deos perdidit eosque respuit'. Et ceteri homines mihi invident, quod ego etiam eos qui me petierunt contempsi; et hac mea humiliatione in me gavisi sunt. Dominus autem Deus Altissimus potens sapientis Ioseph odit eos qui idola vana timent; quoniam Deus est zelotes, et in eos qui deos alienos timent, opus manuum hominum, timendus. Quoniam ego etiam polluta sum eosque timui eisque libavi, et colui eos, et ab eorum sacrificiis comedi, non est mihi fiducia, mi Domine, ut Dominum Deum Altissimum caeli invocem. Sed, quoniam audivi Deum Hebraeorum Deum verum esse, et miseratorem ac misericordem, et longanimem et gratia ac veritate abundantem, et peccata dimissurum nec disperditurum, et abundaturum ut iram suam avertat, nec totum suum furorem excitaturum [1], tempore humiliationis hominis qui eum invocat, audebo ad eum converti; et apud eum confugiam et peccata mea ac delicta ei confitebor; et petitionem meam coram ea offeram, ut humiliationem ancillae suae fortasse respiciat, meique misereatur. Quoniam pater est orphanorum, et debilium adiutor, et pauperum salvator, loquar, et ad eum clamabo ». Et surrexit Āsyath ad fenestram orientalem; et manus suas in caelum sustulit; et timuit os suum aperire et ad Deum Altissimum loqui, et nomen eius sanctum memorare atque invocare. Et iterum rediit, et iuxta parietem fenestrae orientalem consedit, et vultum suum feriebat, et pectus suum manibus percutiebat; et in corde suo dicebat, neque os suum aperiebat: « Ego *sum* debilis et orphana et solitaria, cuius * os sacrificio atque inanitate deorum Aegyptiorum popularium meorum inquinatum est; et nunc his lacrimis meis, et cinere ac pulvere humiliationis animae meae, quam propter peccata mea paenitentia feci, audebo et os meum aperiam, et nomen sanctum Dei misericordis invocabo. Et, si mihi irascetur et me castigabit, Dominus est, et ipse me possidet; et si rursus me percutiet ipse me sanabit ». Et caelum intuita est; et tunc primum os suum aperuit et dixit: « Domine Deus saeculorum ac creator eorum, omnia vivificans, is qui [id quod] [2] non videtur

* p. 33.

* p. 34.

[1] Cf. *Ps.* LXXXVI, 15; LXXVIII, 38. — [2] In ms. excidit.

in lucem oriri fecit et eduxit, qui ea quae sunt e nihilo formavit et caelum erexit et fundamenta eius porro venti dorso imposuit, et terram super aquas stabilivit; qui in abysso aquae magnos lapides posuit, et lapides non mergentur, sed ut folia super ea feruntur, et sunt lapides vivi et tibi, Domine, oboediunt, et mandata *tua servant* ac non transgrediuntur, quoniam tu, Domine, dixisti et tuo verbo vivo atque omnia vivificante omnia facta sunt, apud te confugio, et cum clamore petitionem meam coram te effundam et peccata mea ac delicta confitebor. Parce mihi, Domine, quod in te multum peccavi, et mala coram te feci, et [te] [1] *irritavi et impie egi*, et mala locuta sum quae exprimi non oportet, et os meum foedum est ac pollutum sacrificiis idolorum libationibusque deorum Aegyptiorum quae errore feci, eosque colui ac timui, nec digna sum quae os meum coram te, Domine, aperiam. Ego Asyath filia Putiphare sacerdotis, quae olim virgo honorata et regina et omnibus altior atque illustrior, * nunc vero orphana et ab omnibus hominibus deserta ac relicta, apud te confugio, et ad te clamabo. Serva me antequam a persecutoribus meis prehendar, ut puerum infantem qui terretur et ad patrem suum fugit, et manus suas expandit eumque recipit, et a terra eum erigit; et pectori suo eum applicat, et puer circum cervicem patris sui manum iacit, et confirmatur et a timore suo respirat, et apud eum requiescit, pater eius autem trepidatione infantiae filii sui laetatur. Ideoque tu, Domine, porrige manus tuas, meque a terra leva; quoniam en! fera *est* qui me persequitur leo antiquus; quoniam hic pater est deorum Aegypti, et ego idola iam odio habui, quoniam liberi eius sunt, eosque omnes abieci, et perdidi et a me removi, et nimirum mihi iratus *est*, ac me persequitur. Serva me a manibus eius, Domine, et e medio dentium eius me reduc, ne me rursus abripiat ac perdat, et in ardorem ignis me iniciat, et hinc rursus in flammam deferar et tenebris induar, et šĕyul tremam et in imam foveam descendam, et serpens qui a saeculo *est* me devoret, et pereам in saecula. Sed serva me, Domine, antequam haec omnia mihi incidant. Serva, Domine, desertam quoniam pater meus ac mater mea me reliquerunt et me denegaverunt, q' deos respui, et sum hodie orphana ac misera, et spes mea tu solus es, Domine pater

[1] In ms. excidit.

orphanorum, roborator eorum qui debiles *sunt* et salvator eorum qui persecutionem patiuntur. Domine, miserere orphanae, miserae, et relictae; quoniam tu Pater es bonus atque almus. Et quis est porro qui tibi comparabitur, et misericordia sua propinquus est ut tu? Et quis est qui tui instar longaminis est ac misericors? En! enim omnia * dona Putiphare patris mei, quae mihi in hereditatem dedit, vanitas sunt temporalis; donum autem tuae ipsius hereditatis, Domine, in saeculum est nec corrumpitur. Paupertatem meam ad te converte, Domine, et miserere mei. Inopiam meam respice et in innocentia mea parce mihi, Domine; quoniam en! ego ab omnibus *rebus* discessi et apud te confugi, et omnia quae in terra *sunt* reliqui et ad te fugi, et sacco ac cinere, regno nudata ac destituta et decore ornatus eius varii diversique, et veste lugubri nigra *amicta* sum, et pulcritudinibus splendidis munditiarum mearum careo. Et apparatus cubiculi mei et corona capitis mei et cingulum lumborum meorum aureum in solo *sunt*; et [in] [1] cinere animam meam humiliavi; et in sacco palatum meum ciborum cuppedia gementer desideravit et septem dies ieiuna remansi, et cibo destituta sum. Et hic cinis etiam de lacrimis meis lutus factus est, et velut in via transitus. Et cenam meam ex omnibus cibis canibus alienis dedi. Et en! ego septem dies et septem noctes panem non comedi, et aquam *non bibi*, donec lingua mea tecto palati mei adhaesit, et os meum fetuit ut sepulcrum, et labia mea aruerunt ut testa [2], et species προσώπου mei evanuit et oculi mei flendo infirmati sunt, et vires meae a me discesserunt. Et deos quos antea inscienter colebam respui et abieci et ut ab hominibus conculcentur et surripiantur dedi; et *deos aureos atque argenteos* reliqui, eosque a facie mea removi, et ad te Domine Deus mi fugi. Sed tu serva me; quoniam per errorem in te peccavi, virgo errans atque infans quae mala vana contra dominum meum Ioseph locuta sum; quoniam * eum esse filium tuum nesciebam; quoniam homines mihi dixerunt *eum filium* esse pastoris a Chanaan *oriundi*, et ego eis credidi et erravi eumque contempsi. Quis enim hominum talem pulcritudinem gignet, et sapientiam et ἀρετὴν et *tale* robur? Domine, eum tibi commendo; quoniam eum magis quam animam meam

[1] In ms. excidit. — [2] *Ps.* XXII, 16.

amavi. Custodi eum sapientia [1] . . . . »
. . . . et invenies ». Et Āsyath conclave suum intravit, et magnum mellis favum invenit qui plenus *erat*, et ut nix albus erat, et in mensa positus; et mel eius ut guttae roris tertii caeli, et odor eius ut odor suavis spiritus vitae. Et mirata est Āsyath, et dixit in corde suo: « Verumtamen hic favus ex ore huius viri exiit; quoniam odor eius ut odor suavis oris eius est ». Et cepit Āsyath favum, et ad virum attulit, et mensae ante eum paratae imposuit. Et dixit ei vir: « Quare dixisti, 'Non est favus in cubiculo meo'? et en! favum mirum attulisti ». Et timuit Āsyath, et dixit: « Mi domine, ego nunquam favum in conclavi meo habui, sed tu dixisti, et factus est; et ex ore tuo exiit; quod odor eius ut odor suavis oris tui ». Et vir intellegentia Āsyath gavisus est; eamque ad se vocavit et manum suam dextram extendit ac caput eius tetigit. Et Āsyath scintillas ignis timebat quae a manu eius, ut a ferro ardente, exibant. Et vir delectatus est quando eam timuisse vidit; et dixit: « Beata es, Āsyath; quod tibi secreta Altissimi revelata sunt; et beati qui Domino Deo Altissimo paenitentia adhaerent; quod ex hoc favo comedent, et vivent in saeculum; quoniam hic * est spiritus vitae. Hunc enim apes volucres paradisi Dei, *quae est* Eden vivi de rore rosae vitae quae in paradiso est fecerunt; quoniam angeli Dei de eo comedunt; et omnes electi Dei, et filii Altissimi de eo comedunt; quoniam favus est vitae; et quicumque de eo comedet non morietur, sed vivit in saeculum ». Et vir manum suam dextram extendit, et partem parvam de favo sumpsit et comedit; et reliquum in os Āsyath imposuit. Et vir dixit Āsyath: « Comede iam panem vitae, et bibe poculum vitae, et ungere unctione incorruptibilitatis; et ab hoc die et in posterum corpus tuum flosculos vitae de terra Altissimi germinat; et ossa tua etiam pinguia fient, ut cedri paradisi; et robora non languescentia te roborabunt et adulescentia tua manebit in saeculum, nec videbis senectutem; et pulcritudo tua non obibit in saeculum; et metropolis eris, muro munita, eis qui apud nomen Regis Domini Dei saeculorum confugiunt ». Et extendit manum suam dextram, et id quod de favo confregerat in eo suppletum est, et factus est sicut antequam eum tetigit. Et rursus manum suam

[1] Duo folia desunt. Deficientia in textibus gr. et lat. legi possunt.

dextram ad favum iterum extendit, eumque digito suo a latere eius orientali visibiliter tetigit, et portionem eius ad se traxit. Et rursus manum suam dextram iterum extendit, et digito suo latus favi occidentale tetigit; et, dum eam ad se admovet, in tramite mellis factus est sanguis. Et rursus manum suam extendit et digito suo latus septentrionale favi tetigit, et ad se traxit; et rursus in tramite mellis factus est sanguis. Et rursus extendit manum suam et * digito suo latus meridianum favi tetigit et ad se admovit, et rursus in tramite mellis factus est sanguis. Et Āsyath a sinistra eius stabat, et videbat quidquid vir faciebat. Et dixit vir favo: « Veni, et appare statim, turba apium volucrium, e domibus quae in favo mellis sunt ». Et domus innumerae fuerunt, multae myriades; et ex omni domo myriades myriadum apium et ⌜mille milia [1] apparuerunt, et vixerunt, quae albae erant ut nix, et alae earum ut color purpurae et hyacinthorum et cocci et byssi auro texti: et corona aurea in capite uniuscuiusque earum; et aculeos habebant acutos, nec nocebant. Et circumierunt atque apprehenderunt Āsyath, eique adhaeserunt, a pedibus eius et usque ad caput eius. Et apes electae erant et magnae, ut reginae; haeque e sectionibus quae ab ipso favo a viro fractae erant fuerunt: et vultum Āsyath tenuerunt; et super labia eius favum fecerunt, ad instar eius qui ante virum positus erat; et mellis plurimi plenus erat. Et omnes congregatae sunt, et de melle comederunt quod in favo *erat* qui super os Āsyath *erat*. Et dixit vir his apibus: « Ite ad loca vestra ». Et surrexit multitudo earum et volavit; et sursum tendit ad caelum versus; et quae Āsyath nocere voluerunt in terram deciderunt, et mortuae sunt. Et vir baculum qui in manu eius *erat* super apes mortuas extendit, et dixit eis: « Surgite vos etiam, et ite ad loca vestra, ad aulam turri Āsyath propinquam, et in arboribus pomiferis habitate ac deversamini ». Et dixit vir Āsyath: « Vidistine haec, Āsyath? », et dixit: « Vidi, mi domine ». Et dixit ei vir: « Ita erunt omnia dicta quae tibi hodie locutus sum ». Et rursus * vir manum suam dictam sectionem tetigit; et ignis a mensa adscendit, et extendit, et favi sectionem tetigit; et ignis a mensa adscendit, et favum comedit, nec mensae nocuit, neque ea potitus est; et odor incendii favi per totam domum conclavis Āsyath suaviter fragravit. Et dixit Āsyath viro: « Mi domine, sunt mecum septem

[1] Gr. χιλιάδες χιλιάδων; ita arm.

virgines annis et diebus et educatione mihi aequales, et ego eas ut sorores meas amo. Vocabo eas ad te, et benedic eis, sicut mihi ». Et dixit vir: « Voca eas ». Et Āsyath septem virgines vocavit, et coram eo steterunt. Et dixit eis vir: « Dominus Deus Altissimus vobis benedicet; et eritis septem columnae in urbe refugii; et omnes domesticae oppidi domus refugii quae electae *sunt* super vos et in vobis requiescent in saeculum ». Et dixit vir Āsyath: « Aufer nunc mensam ». Et, cum Āsyath mensam abstulisset, vir a conspectu eius evanuit. Et vidit, et en! currus quattuor equorum qui ad caelum versus in orientem tendebat, et species currus fulgida, et lucida ut ignis, et species equorum ut fulgura; et vir supra currum stabat. Et dixit Āsyath: « Vere inepta sum atque audax, quod haec locuta sum et virum ad cubiculum meum venisse dixi, et Deum de caelo in conclavi meo apparuisse nescii; et nunc en! ad caelum reversus est ». Et dixit Āsyath: « Parce ancillae tuae, quod ignorantia dicta mea locuta sum ». Et, dum haec in corde suo meditatur, adulescens Putiphare intravit, et in domo dixit: « En! vir fortis Dei Ioseph venit; et decanus [1] eius ad aulae portam stat ». Et vocavit Āsyath nutricium suum procuratorem domus patris sui, et dixit ei: « Accingere, et para domum; et * cenam magnam orna; quoniam Ioseph fortis Dei hodie ad nos venit ». Et nutricius eius eam intuitus est; et ob passionem paenitentiae septem dierum πρόσωπον eius triste erat; et dolore adfectus est, et flevit; eamque manu eius dextra prehendit et osculatus est; et dixit ei: « Quid tibi, filia mea, quod vultus tuus tristis est? » Et dixit ei: « Caput mihi valde doluit, et somnus mihi ablatus est. » Et nutricius eius statim abiit, et domum ac cenam paravit. Et Āsyath virum ac dicta eius recordata est; et statim conclave suum secundum intravit, ubi erant cistae ornamentorum eius, et aperuit, et stolam primam fulgentem deprompsit, et induit; et lumbos suos cingulo aureo cinxit; et manibus suis armillas imposuit, et catenas pedibus circumiecit; et cervici suae monile lapidibus bonis multis diversum, et capiti suo coronam auream *imposuit*. Haec omnia instrumenta simplicia ornamentorum eius. Et in corona eius hyacinthi a fronte eius apparebant, et lapides sex pretiosi. Et velamen sponsae super caput eius *erat*; et

[1] δεκανός.

baculum in manu sua cepit. Et recordata est verba nutricii sui eum sibi dixisse speciem vultus eius nigram esse ac tristem; et ingemuit et valde adflicta est; et dixit Āsyath: « Quando me ita videbit Ioseph, me contemnet ». Et dixit virginum uni sodalium suarum ut ei aquam puram de fonte adferret, et trulleo iniecit. Et, cum sese ad lavandum inclinasset, vultum suum vidit ut radios solis, et oculos suos ut stellam lucis orientem, et maxillas suas ut arva Altissimi, et super eis ruborem ut sanguinem hominis, et labia sua ut rosam vitae e stirpe eius decerptam, et dentes suos ut arma bello parata, et crines capitis sui ut vitem paradisi Dei, * fructibus eius adfluentem, et collum suum ut insulas requietis angelorum qui in caelo *sunt*, et pectora sua ut montes amoris Altissimi. Et vidit Āsyath se ipsam in aqua, et specie ipsa sua obstupuit; et prae gaudio suo vultum suum non lavavit; dixit enim, « Ne pulcritudinem hanc decoram abluam ». Et adfuit iterum nutricius eius ei dicturus, « Omnia parata sunt »; et, cum eam vidisset, agitatus est, nec loqui potuit; et timore adfectus est, et ante pedes eius cecidit; et tum demum dixit, « Quae, domina mea, est haec species ἀρετῆς, et miraculum pulcritudinum divinarum? Dominus Deus caeli te vere filio suo primogenito sponsam elegit ». Et venit adulescens, et dixit Āsyath: « En! Ioseph in limine *est* aulae ». Et festinavit Āsyath; et gradus descendit cum septem virginibus sodalibus suis obviam Ioseph; et in ingressu domus steterunt. Et Ioseph in aulam venit; et portae clausae sunt; et omnes alieni foras remanserunt. Et Āsyath ab ingressu exiit obviam Ioseph. Et vidit eam Ioseph, et etiam is quoque pulcritudine eius obstupuit; et dixit ei: « Quae es? Statim me certiorem fac ». Et dixit: « Ego sum adulescentula tua atque ancilla tua Āsyath, quae a me idola removi, et deos contempsi et respui. Et hodie vir de caelo ad me venit, et panem vitae mihi dedit, et comedi, et poculum benedictum, et bibi. Et dixit mei, 'Dedi te sponsam Ioseph, et ipse tibi sponsus erit in saeculum'. Et dixit, 'Iam non vocabitur nomen tuum Āsyath, sed vocabitur nomen tuum « oppidum domus refugii » [1]; quod apud te populi * et gentes et familiae et nationes ad Deum Altissimum

[1] Fortasse hebr. mānos (refugium), cui nomen Ἀσενέθ simile videri poterat (Kohler in *Jewish Encyclopaedia*, s. v. Asenath). Sed propius videtur syr. (aram.) ḥesnā (arx).

fugient et protegentur'. Et dixit mihi, '*Ibo etiam ad Ioseph*, et loquar ei haec de te dicta'. Et nunc tu scis, mi domine, an vir ad te venerit et tibi de me locutus sit ». Et dixit Ioseph Āsyath, « Benedicta es Dei Altissimi, et nomen tuum benedictum in saeculum; quoniam Dominus Deus muros tuos in alto posuit, muri enim tui adamantis vitae; quoniam filii Dei nostri vivi in oppido domus refugii habitabunt, et Dominus Deus noster super eos regnabit in saeculum; *quoniam vir qui* ad te hodie venit dixit mihi secundum haec dicta de te. Et nunc veni ad me, virgo pura. Quare procul ex adverso stas? » Et Ioseph manus suas extendit, et nutu oculorum suorum vocavit Āsyath. Et Āsyath etiam manus suas extendit, et ad Ioseph cucurrit; et cervici eius incidit, eumque amplexa est; et spiritu vixerunt, et alter alteri adunati sunt. Et Ioseph Āsyath osculatus est, et dedit ei spiritum vitae; et iterum eam osculatus est, et dedit ei spiritum sapientiae; et tertio eam osculatus est, et dedit ei spiritum veritatis; et manus suas compresserunt, et alter alterum amplexi sunt. Et dixit Āsyath Ioseph: « Veni, mi domine, et domum nostram intra; quoniam ego, mi domine, tibi cenam magnam in domo nostra paravi ». Et manibus suis dextris alter alterum salutaverunt; eumque in domum suam introduxit, et in throno [1] patris sui collocavit; et aquam admovit pedes eius lavatura. Et dixit Ioseph: « Adpropinquent [2] virginum una, et pedes meos lavent [2] ». Et dixit Āsyath: « Minime, mi domine. Quare harum una adulescentularum pedes tuos, mi domine, lavabunt [2]? Sed ego adulescentula et ancilla domini mei pedes lavabo; * quoniam pedes tui pedes mei *sunt*, et manus tuae manus meae, et anima tua anima mea ». Et eum coegit, et pedes eius lavavit. Et Ioseph manus eius aspectabat ut manus vitae, et digitos eius ut digitos scribae periti et amati. Et postea Ioseph dextram eius tenuit, eamque in capite eius osculatus est; et *ea* a dextra eius consedit. Et pater eius ac mater et propinqui eius omnes ab agro hereditatis suae venerunt; et viderunt Āsyath *ut speciem lucis*, et pulcritudinem eius ut pulcritudinem caeli; et viderunt eam cum Ioseph sedentem et veste nuptiali indutam; et pulcritudine eius obstupuerunt; et gloriam Deo dederunt, qui vivificat et suscitat mortuos. Et *postea* comederunt et biberunt.

* p. 44.

[1] θρόνος — [2] Sic textus.

Et dixit Putiphare Ioseph: « Cras primores praesidesque terrae Aegypti vocabo, et nuptias faciam; et Āsyath uxorem duces ». Et dixit Ioseph: « Ego cras ad Pharaonem regem revertar, quoniam ut pater meus est, et ipse me praesidem super Aegyptum constituit; et loquar ei de Āsyath, et ipse eam mihi in uxorem dabit ». Et dixit Putiphare: « Vade in pace ». Et mansit Ioseph illo die apud eundum ipsum Putiphare; nec cognovit Āsyath, quoniam dixit Ioseph, « Non oportet virum Dei timentem ante nuptias sponsam suam cognoscere ». Et dixit Ioseph Pharaoni: « Da mihi uxorem Āsyath filiam Putiphare sacerdotis On ». Et dixit Pharao Ioseph: « En! haec tibi a saeculo et coram Deo parata erat ». Et Pharao vocavit Putiphare et Āsyath adduxit, et pulcritudine eius obstupuit. Et dixit: « Benedicta es Domini Dei Ioseph; quoniam ipse est filius primogenitus Dei, et tu filia Domini vocaberis et sponsa Ioseph, posthac * et usque in saeculum ». Et Pharao Ioseph et Āsyath adpropinquare fecit, eisque coronas aureas quae in domo eius a saeculo conservatae erant imposuit; et Pharao Āsyath a dextra Ioseph constituit, et manum suam capitibus eorum imposuit, eisque benedixit, et dixit: « Benedicet vobis Dominus Deus Altissimus; ⌜et benedicet vobis [1] et glorificabit vos in saeculum ». Et Pharao eos alterum in alterum convertit et alter alterum osculati sunt. Et post haec fecit Pharao nuptias et cenam magnam, et potationem magnam septem dies. Et vocavit cunctos primores Aegypti, et cunctos reges populorum; et proclamavit per omnem terram Aegypti: « Omnis vir qui septem diebus nuptiarum Ioseph et Āsyath opus faciet morte morietur ». Et factum est post haec ut Ioseph ad Āsyath ingressus sit; et Āsyath de Ioseph concepit et peperit Manassen, et post eum Ephraim in domo Ioseph.

* p. 45.

Hymnus confessionis Āsyath ad Deum Altissimum.

« Peccavi coram te, Domine, multum, ego Āsyath filia Putiphare sacerdotis On urbis solis, qui omnia visit; peccavi et mala coram te feci. Et tranquilla [2] eram in domo patris mei, superba vero ac gloriosa. Peccavi coram te, Domine, et deos innumeros timui; et de sacrificiis eorum comedi et de libationibus eorum bibi: nec

[1] Gr. κ. πληθυνεῖ κ. μεγαλυνεῖ; arm. om. ܫܠܝܐ Lat. 'vihssuma', unde legendum fortasse ܫܠܝܛܬܐ. In gr. et arm. hymnus deest.

Dominum Deum caeli cognoveram, neque in Altissimo vivo speravi; sed gloria divitiarum mearum et pulcritudine mea confisa sum; et superba eram ac gloriosa, et omnem virum qui coram me *venit* contempsi, et eos qui me petebant. Peccavi coram te, Domine, multum, et vanitate contra te fatue locuta sum; et superbia mea dixi, 'Non est vir terrae praeses qui me pudefaciet, sed * sponsa ero primogenito regis Aegypti'; donec Ioseph potens Dei advenit, et is me firmitate mea ac superbia nudavit, et robore meo me vacuam reddidit et pulcritudinibus suis me venatus est, et sapientia sua me cepit, ut piscem hamo, et spiritu suo me vitae subiecit, et robore suo me roboravit, et ad Deum me adduxit, Principem ac Dominum saeculorum, et per summum ducem exercituum Altissimi panis vitae mihi datus est, et poculum sapientiae, et facta sum ei sponsa in saecula saeculorum ».

Et factum est post haec *ut* septem anni ubertatis praeterierint; et septem anni famis venire inceperunt; et Iacobus de Ioseph filio suo audiit, et venit Israel Aegyptumque intravit cum omnibus in domo sua natis, *die* 21° mensis 2i anni 2i famis, et in terra Gessen habitavit. Et dixit Āsyath Ioseph: « Ibo, et patrem tuum Israel videbo, quod ut Deus est mihi ». Et dixit Ioseph: « Mecum patrem meum videbis ». Et venerunt Ioseph et Āsyath in Gessen; et fratres Ioseph eis obviam exierunt, eosque proni in terra adoraverunt. Et ingressi sunt apud Israel in lecto suo sedentem senectute bona; et vidit eum Āsyath, et obstupuit; quoniam Iacobus visu pulcer erat, et senectus eius pulcritudinem adulescentium formosorum superabat, et caput eius album erat ut nix, et crines eius densi *erant* ut Aethiopis [1], et barba eius inferior, quae alba erat, in pectus eius descendit, et oculi eius hilares erant ac fulgidi, et maxillae eius et humeri eius et brachia eius revera erant ut species angeli, et coxae eius et femora eius ut gigantis; et erat Iacobus ut homo qui cum Deo contendit [2]. Et vidit eum Āsyath, et mirata est; et prona in terra adoravit. Et dicit * Iacobus Ioseph: « Estne haec nurus mea uxor tua? benedicta es Dei Altissimi ». Et Iacobus eam ad se vocavit, eique benedixit eamque osculatus est. Et Āsyath manus suas extendit

[1] Potest legi 'avenae', ut scripsit Land (vide n. in textum); sed habet vers. arm. 'Indi'; cet. om. — [2] Cf. *Gen.*, XXXII, 28.

et cervicem Iacobi prehendit, et de ea a solo suspensa est, ut qui e bello post longum tempus domum revertitur. Et postea comederunt ac biberunt. Et surrexerunt Ioseph et Āsyath, et domum profecti sunt; et filii Liae, et frater Ioseph, soli eos comitati sunt; filii vero Balae et filii Zelphae, ancillarum Liae et Rachel, eos non comitati sunt; quoniam timuerunt dolum priorem recordati.

Et Levi a dextra Āsyath tendebat, quae manum eius tenebat, et Ioseph a sinistra. Et Āsyath Levi dilexit magis quam omnes fratres Ioseph; quoniam Deo vivo propinquus erat, et vir fuit propheta et intellegens, et oculi eius aperti erant, et dicta litterarum librorum caeli Dei digito scriptorum exploraverat et Dei secreta sciebat, quae ei revelabantur, et de secretis quae mens eius sapiebat Āsyath praenuntiabat quod ad requiem eius in excelsis, et muros eius adamantinos in saecula *duraturos*, et fundamenta eius saxo rupis in septem caelis firmiter olim imposita. Et factum est tempore quodam *ut*, cum Ioseph et Āsyath praeterirent, primogenitus Pharaonis eos ex adverso viderit; et vidit Āsyath et zelotypus fuit, eamque concupivit. Et ingemuit et insanuit propter eius pulcritudinem, dum dicit: « Quare ita? » Et filius Pharaonis nuntios misit, et Simeonem et Levi ad se vocavit; et adfuerunt viri, et coram eo steterunt. Et dixit eis primogenitus Pharaonis, « Scio vos viros esse omni viro qui in terra *est* fortiores, et his * manibus vestris Sichimam urbem vastasse, et his duobus lanceis [1] tria milia virorum bellatorum occidisse. Et en! ego hodie vobis cum consensu sodalis sum et amicus, et dabo vobis aurum atque argentum et res multas, et hereditates magnas quae bonae *sunt*. Verum unum negotium vos rogo ut mihi misericordia faciatis; quoniam Ioseph frater vester me contumelia adfecit et contempsit; quia Āsyath uxorem meam, quae mihi olim debebatur, sumpsit. Et nunc venite iurate mihi, et cum Ioseph fratre vestro pugnabimus; eumque mea lancea occidemus, et Āsyath mihi uxor erit, et vos fratres et amici veri. Et, si vos dubitabitis et hoc negotium impedietis ac respuetis, en! haec meae lanceae acies in vos stringetur ». Et, cum haec dixisset, lanceam suam fulgere fecit

[1] ܪܘܡܚ̈ܐ aliter verti non potest, sed hic et infra contextus 'gladium' requirit; gr. ῥομφαίαις.

et aciem ostendit. Et, cum viri Simeon et Levi haec audiissent, quae primogenitus Pharaonis contumaciter locutus est, valde mirati sunt. Et Simeon audax fuit atque iracundus; et gladii sui statim stringendi et primogeniti Pharaonis, quia dure atque impudenter locutus est, feriendi consilium inibat. Et, cum Levi cogitationem cordis Simeonis percepisset, quoniam propheta fuit ac vates, et oculi eius aperti *erant*, tunc in pedem Simeonis calcavit, eique significavit ut sileret, et a furore suo conquiesceret; et Simeoni secreto dixit: « Quare ira ac furore contra hunc virum adfectus es? Et nos Dei timentes sumus, nec malum pro malo retribuere [1] nobis licet ». Et dixit Levi filio Pharaonis aperte et absque ira placide: « Quare dominus noster haec dicta locutus est [2], nobis viris Dei timentibus, quorum pater Altissimo propinquus ac dilectus est, et Ioseph frater ut filius Dei est et primogenitus eius? Et quomodo * (p. 49.) nos hoc malum faciemus et in Deum peccabimus [3], et coram patre nostro Israel et Ioseph fratre nostro? Et nunc audi dicta mea. Non oportet ullum virum Dei timentem ulli homini ullo modo nocere, et, si quis viro qui Deum timet nocebit, gladium manu *tenentem* vindictam eius ultione sumere. Et cave tu haec contra fratrem nostrum Ioseph excogites, ne acie lancearum quae in manibus nostris *sunt* cadas ». Et gladios suos ostenderunt, et dixerunt: « Vides*ne* has lanceas caedis? His duobus gladiis ignominiam Dinae sororis nostrae a Sichimitis ulti sumus ». Et vidit filius Pharaonis, et timuit valde, et tremuit et prae timore suo ante pedes Simeonis et Levi in solum cecidit. Et Levi manum suam porrexit eumque sublevavit, et dixit ei: « Surge neve timeas. Verumtamen te paeniteat, et a malis tuis convertere, neve contra Ioseph fratrem nostrum dolum excogites ». Et Simeon et Levi a conspectu filii Pharaonis exierunt, et is insaniebat, et valde cruciabatur, propter pulcritudinem eiusdem Āsyath. Et servi eius ei dixerunt: « En! filii Balae et Zelphae ancillarum Liae et Rachel, uxorum Iacobi, Ioseph et Āsyath invident, *eos*que oderunt. Hi consilio tuo oboedient, et voluntatem tuam perficient ». Et misit rursus ad eos nuntios [4], eosque ad se nocte vocavit filius Pharaonis; et advenerunt, et coram eo steterunt. Et dixit eis: « Viri estis bellatores ac fortes ».

[1] *Rom.*, XII, 17; I *Thess.*, V, 15. — [2] *Gen.*, XLIV, 7. — [3] *Ibid.*, XXXIX, 9. — [4] Ms. 'consiliarios'; gr. ἀγγέλους.

Et dixerunt ei Dan et Gad fratres maiores: « Loquatur dominus noster; quoniam servi tui audient [1] et voluntatem tuam perficient ». Et filius Pharaonis gaudio magno gavisus est; et servis suis dixit: « Recedite hinc paululum; quoniam sermo mihi cum his viris in occulto est »; et discesserunt omnes. Et dixit filius Pharaonis: « En! vita * (p. 50.) coram me *est* et mors. Sumite vobis vitam [2]; quoniam viri fortes estis, neque ut mulieres moriemini; sed fortes este, et ultionem ex inimicis vestris exigite; quoniam ego Ioseph fratrem vestrum audivi Pharaoni dicentem: 'Filii Balae et Zelphae servi mei sunt; et ei me dolo atque invidia vendiderunt; et, simul ac luctus patris mei accesserit, eos ulciscar [3], et a terra eos removebo, ne filii ancillarum cum filiis ingenuarum hereditatem capiant [4]'; et laudavit eum Pharao, et dixit ei: 'Bene consuluisti de patientia; et illo tempore ego tibi in vindicta opem feram' ». Et cum viri haec dicta audiissent, conturbati atque adflicti sunt valde; et filio Pharaonis dixerunt: « Te rogamus, mi domine, nobis opem fer ». Et dixit eis: « Ego opem feram, scilicet si mihi consentietis ». Et dixerunt viri: « En! nos coram te servi stamus. Dic, et voluntas tua a nobis fiet ». Et dixit filius Pharaonis: « En! ego hodie patrem meum Pharaonem occidam, quia Ioseph ut pater amat, et eius loco regnabo. Et vos Ioseph fratrem vestrum interficite; et Āsyath iterum mihi uxor erit secundum concupiscentiam meam ». Et viri se hoc facturos promiserunt; et dixerunt: « Nos Ioseph audivimus Āsyath dicentem, 'I cras ad agrum hereditatis nostrae; quoniam tempus est vindemiae'; et cum ea sexcentos viros bello fortes dedit, et quinquaginta decanos [5] praeeuntes. Et nunc loquemur, et audiat dominus noster, et nobiscum viros det ad bellum ». Et dedit duo milia virorum quattuor principibus, unicuique viro quingenos viros; eosque duces quingentorum constituit. Et dixerunt Dan et Gad: « Nos nocte ibimus, et in arundine saltus torrentis insidiabimur; et tu * (p. 51.) sagittarios quinquaginta sume, et nos praecede; et nos ex insidiis saltus surgemus, et sexcentos viros qui cum ea *erunt* occidemus; et ubi ipsa super curru fugiet ei obviam i, et fac ei secundum voluntatem tuam. Et postea, ubi Ioseph de Āsyath contristatus erit, nos eum occidemus; et duos

[1] I *Reg.*, III, 9, 10. — [2] *Deut.*, XXX, 19. — [3] *Gen.*, XXVII, 41. — [4] *Ibid.*, XX, 10. — [5] δεκανός.

filios eius ante oculos eius interficiemus ». Et gavisus est filius Pharaonis cum haec dicta audiisset; eosque a conspectu suo cum duobus milibus virorum armatorum dimisit. Et ad torrentem venerunt, et in arundine saltus insidiati sunt; et divisi sunt quingenti viri hinc et quingenti inde, et viam in medio reliquerunt. Et filius Pharaonis nocte surrexit, et ad patrem suum venit eum gladio occisurus; et patris eius custodes eum intrare prohibuerunt, eique dixerunt: « Quid mandas, mi domine? », et dixit: « Patrem meum videre volo; quoniam ad vindemiam plantationis vineae meae eo ». Et custodes ei dixerunt: « Dolore enim capitis nocte gravatus est pater tuus, et quietem vult; et mandavit ne quis ad eum intraret, ne tu quidem primogenitus eius ». Et agitatus est filius Pharaonis et reversus est; et quinquagenta viros sagittarios secum cepit, secundum consilium Dan et Gad; et praecessit et in loco delituit. Et [1] dixerunt Nephthali et Aser fratres minores Dan et Gad: « Quare iterum malum excogitatis contra Israel patrem nostrum, et contra fratrem nostrum Ioseph? quod en! Dominus eum ut pupillam oculi custodit. Non*ne* eum antea vendidistis? et en! super terram regnat ac dominatur, et triticum cibi dat, et multos servat ac vivificat. Et nunc, si ei malefacere conabimini, ad caelum rursus adscendet, ignemque in vos demittet, qui vos comedet; quoniam angeli Dei pro eo contendent * eique opem ferent ». Et irati sunt eis Dan et Gad eisque dixerunt: « Et, si non, ut mulieres moriemur ». Et Āsyath mane surrexit et dixit Ioseph: « Ut dixisti, ad agrum hereditatis nostrae ad vineam ibo; et timet cor meum quod te privata ero ». Et dicit ei Ioseph: « Animum sume, neve timeas, sed i statim, et Dominus tecum *est*; teque ut pupillam oculi custodiet, et a facto malo. Et ego eo ad alimentum vitae praeparandum ac dandum, et cibum multorum, ne super terram perdantur ». Et Āsyath via sua profecta est; et Ioseph quoque via sua rediit. Et Āsyath ad locum torrentis pervenit, et sexcenti viri cum ea; et viri ex insidiis surrexerunt, et viris Āsyath se miscuerunt; et eos occiderunt et quinquaginta decanos [2] praeeuntes; et Āsyath super curru suo fugit. Et Levi fratres suos filios Liae de coniuratione certiores fecit; et ceperunt unus-

* p. 52.

[1] Seqq. ad p. 37, l. 33, a Carrière *(Nouv. Mél. Orient.*, p. 506) de nostro textu gallice versa sunt, itemque p. 39, l. 14-19 (p. 511, n. 2). — [2] δεκανός.

quisque aciem ensis sui super femore suo, et ceperunt scuta, et brachiis suis imposuerunt; et dextris suis hastas suas ceperunt; et statim persecuti sunt, et cito ad Āsyath pervenerunt. Et en! filius Pharaonis fugienti ei obviam venit, et quinquaginta equites cum eo; eumque vidit Āsyath, et timuit, et valde contremuit; et nomen Domini Dei Altissimi invocavit. Beniamin autem cum ea in curru fuit; et Beniamin puer erat et pulcer, et Dei timens, atque animosissimus. Et e curru descendit, et calculos sibi de torrente cepit; et manus suas implevit, et in filium Pharaonis animose iaciebat neque aberrabat; eumque in tempore eius sinistro percussit et graviter eum vulneravit; et filius Pharaonis in terram cecidit [1]. Et festinavit Beniamin, et super rupem altam adscendit, et ἡνιόχῳ * currus Āsyath dixit: « Porrige mihi calculos de torrente »; eique calculos numero quadraginta octo obtulit; et unoquoque eorum virum unum occidit, quadraginta octo viros, filio Pharaonis adiunctos. Et filii Liae Ruben [2] et Simeon et Levi et Iudas, et Issachar et Zabulon post viros insidiarum quae in arundine saltus torrentis *fuerant* insecuti sunt; et in eos subito inciderunt, eosque cunctos occiderunt, hi sex adulescentes filii Liae. Et Dan et Gad filii Balae et Zelphae fratres eorum a conspectu eorum fugerunt; et dixerunt: « A fratribus nostris perditi sumus. Et filius Pharaonis devictus est et a Beniamin letaliter caesus. Et nunc age occidamus Āsyath et Beniamin fratrem nostrum, et fugiamus, et in saltu arundinis qui in torrente *est* refugium petamus ». Et venerunt ensibus suis strictis *et* cruore tinctis; et vidit eos Āsyath, et dixit: « Domine, is qui me a morte vivam fecit, et dixit 'Anima tua in saeculum vivet', me a gladio virorum horum dolosorum eripe ac serva ». Et, cum precem Āsyath audiissent, gladii de manibus eorum ad terram in pulverem ceciderunt. Et, cum filii Balae et Zelphae hoc vidissent, valde timuerunt et contremuerunt; et dixerunt: « Vere Dominus pro Āsyath nobiscum contendit ». Et ad terram ceciderunt; [et] [3] adoraverunt, et Āsyath dixerunt: « Miserere, et servis tuis parce; quoniam domina nostra regina est, et nos quod malum *est* in te fecimus, et Dominus nobis secundum facta nostra retribuit. Et nunc tibi supplicamus, miserere nostri,

* p. 53.

[1] Cf. I *Reg.*, XVII, 40, 49. — [2] Syr. 'Rubḥil'. — [3] In ms. excidit.

nosque a manibus fratrum nostrorum serva; quoniam en! illi contumeliae tuae *ultionis exactores sunt*, [et][1] gladium suum contra nos parant ». Et dixit eis Āsyath : « Animum sumite, neve fratres vestros timeatis; quoniam ipsi Dei timentes sunt, et apud * omnes verecundi. Revertimini ad saltum in torrente *situm*, donec furorem eorum contra vos lenivero; quoniam mala vestra in audacia multiplicastis. Verum Dominus inter me et vos iudicet ». Et Dan et frater eius in saltum fugerunt. Et en! filii Liae accurrerunt et advenerunt, ut hinnulei cervorum; et Āsyath obviam eis descendit, eosque dextra salutavit, dum flet; et illi ceciderunt, et proni in terra adoraverunt; et fleverunt fletu magno; et filios Balae et Zelphae fratres suos postulaverunt. Et dixit eis Āsyath : « Dimittite, quaeso, eos, neve malum pro malo retribuatis; et Dominus mihi propter eos bonum faciet, qui me ab eis servavit et eorum gladios in terram deiecit; et ut cera quae ante ignem dissolvitur[2] evanuerunt. Et hoc eis sufficit, quod Dominus contra eos contendit. Et vos iam parcite eis; quoniam fratres vestri sunt et filii Israel patris vestri ». Et dixit ei Simeon : « Quare domina nostra de inimicis suis bonum loquitur? Non ita. Hoc gladio eos trucidabimus atque interficiemus; quoniam illi iam bis antea in nos dolose egerunt, et in Israel patrem nostrum, et in Ioseph fratrem nostrum, et hodie in te, domina mea, quae super nos regnas ». Et Āsyath manum suam erexit, et eum barba eius prehendit, eumque osculata est; et dixit ei : « Minime, frater noster. Ne malum pro malo retribuas. Contumeliae nostrae vindictam Domino da; hi enim fratres nostri sunt et patris nostri propinqui; et a conspectu vestro fugerunt ac discesserunt ». Et Levi ei adpropinquavit, et manum eius dextram prehendit, eamque osculatus est; et scivit hunc fratrum suorum salutem velle. Et illi propinqui erant, et in arundine saltus torrentis latebant; et * Levi hoc sciebat, nec fratres suos de eis certiores fecit; timebat enim ne ira sua eos trucidarent atque interficerent. Et filius Pharaonis a terra surrexit, et consedit; et sanguinem adhuc ex ore suo spuebat; quoniam sanguis plagae temporis eius in os eius defluebat. Et Beniamin ad eum accurrit, et gladium filii Pharaonis strinxit (quoniam apud Beniamin non

[1] In ms. excidit. — [2] Cf. *Ps.* LXVIII, 2.

erat ensis)[1] eumque in pectore ferire volebat. Et Levi festinavit, et manum eius prehendit; et dixit ei : « Hoc noli facere, mi frater; quoniam viri sumus qui Dominum timemus, [et viro qui Dominum timet non licet][2] malum pro malo retribuere, et dolorem occisi augere, et sanguinem in terram effundere, et inimicum ad mortem perdere. Et nunc mucronem in vaginam eius redde, et veni me adiuva, et viri plagam ligemus ac sanemus et vivat; et erit nobis idcirco pater eius Pharao amicus, ut pater noster ». Et Levi filium Pharaonis sublevavit et sanguinem vultus eius abluit et plagam eius ligavit; eumque equo eius imposuit, eumque adduxit, et coram patre eius Pharaone constituit; et eum de omnibus his rebus certiorem fecit. Et Pharao a solio suo surrexit, et Levi in solo adoravit. Et die 3° mortuus est primogenitus Pharaonis, a plaga pueri parvi Beniamin. Et luxit eum Pharao; [et][3] aegrotavit et mortuus est annos CLXXVII natus, et diadema Ioseph reliquit; et regnavit in Aegypto annos XLVIII. Et Ioseph diadema ʻfilio filii Pharaonis'[4] legavit, qui lactens erat ubi Pharao mortuus est. Et Ioseph ut pater *erat* pueri in Aegypto cunctos dies vitae suae.

HISTORIA IOSEPH ET ĀSYATH UXORIS IOSEPH A LINGUA GRAECA IN LINGUAM SYRIACAM VERSA FINITA EST.

*CAPUT VII, INTERPRETATIO SILVESTRI[5] PATRIARCHAE ROMAE QUAE DISCIPLINAM AC BAPTISMUM CONSTANTINI REGIS PRIMI FIDELIS DOCET NECNON SANATIONEM ULCERIS QUOD IN CORPORE EIUS ERAT ET DISPUTATIONEM QUAE A DOCTORIBUS IUDAEORUM FACTA EST QUI A IUDAEA MISSI SUNT ET CUM HELENA CORAM REGE ET συγκλήτῳ IN IPSA ROMA CONVENERUNT[6].

Bar Pampilās Eusebius caesariensis, quando *Historiam Ecclesiasticam*[7] decem libris conscripsit, passiones, ut *ita* dicamus,

[1] Cf. I *Reg.*, XVII, 50, 51. — [2] In ms. excidit; e gr. et arm. inserui. — [3] In ms. excidit. — [4] Gr. τῷ ἐκγόνῳ Φ. τῷ νεωτέρῳ; lat. ʻ filio Ph '. — [5] Sic textus. — [6] Acta Silvestri graeca a Combefisio *(Ill. Christi martyrum lecti triumphi*, p. 258. Parisiis, 1659) edita sunt. Textus lat. in libro antiquo *(Legenda S. Silvestri)* qui Bruxellis anno 1478 editus esse putatur (Brit. Mus. Cat., IB 3885; cf. COPINGER, *Suppl. to Hain's Repertorium*, II, 2359), f. 184, et in Mombritii *Sanctuario*, II, f. 280, vulgatus est. Alius textus syr. in Brit. Mus., Add. 12174, f. 200 v°, exstat, qui disputationem iudaicam non continet. Graeci textus excerpta ap. CEDRENUM et GEORG. MONACHUM inveniuntur. — [7] ἐκκλησιαστική.

martyrum necnon episcoporum et confessorum, et mulierum fortium et virginum verecundarum, qui confessione propter Christum Deum nostrum *facta* ἀγῶνα fecerunt, et gesta quoque summorum sacerdotum qui alius alii successerunt, hoc est Romae, itemque Alexandriae, etiam et Antiochiae, et Hierosolymorum et Ephesi, a Petro apostolo usque ad tempora ipsius Eusebii, quasi ordine disposuit ac rettulit, hanc historiam tantum Silvestri omisit, quam, ut mihi mandasti, pater noster sancte, scripturus sum. Et oro ut a Christo Domino nostro petas ut me adiuvet, ne inobediens fiam et in κίνδυνον incidam, quia, si quae culpa mihi in hoc labore invenietur, meae quidem insipientiae, quod si contra etiam *placebit sermo, tum prudentiae vestrae adscribetur. Silvester vero, cum pueritia sua Quirino presbytero haereret, ministrabat, et huius sermoni ac moribus adsuefactus erat, dum et curam domus eius diligenter exsequitur. Accidit vero ut cum *vir* quidam cui nomen Timotheus persecutionis tempore Romam Antiochia advenisset Dominum nostrum Christum παῤῥησίᾳ proclamaret, et a Silvestro sine timore in domo eius laete receptus sit; id quod terruit etiam sacerdotes facere; et de viri moribus et proclamatione et laboribus multos certiores fecit; et hunc Timotheum laudavit, quod diligentia sua multos paganos ab errore convertit, cum de Christi veritate menses aliquot eos doceret *eis*que proclamaret. Postremo autem Timotheus a Tarquinio ὑπάρχῳ urbis comprehensus est, et in carcere inclusus; et vis multa ei adhibita est ut sacrificaret, et ter flagellatus est, et tormentis variis damnatus est, et postremo caput eius abscisum est. Et silentio media nocte cadaver eius furtim abstulit et ad domum suam portavit; idque ostendit dum Miltiadem summum sacerdotem illius temporis orat ut id splendide vestibus involvat ac sepeliat. Et hic ceteros presbyteros et diaconos eadem nocte congregavit, et cum hymnis spiritalibus eum sepelivit, in horto mulieris cuiusdam fidelis cui nomen Theone, qui templo contiguus erat in quo depositus erat Paulus apostolus; quae expensis *factis* oratorium super eo aedificavit. Et prudentes multi Dei dispensationem mirati sunt, quae fecerit ut hic Timotheus discipuli Pauli apostoli cognominis iuxta eum deponeretur. Et haec ita gesta sunt. *Tarquinius vero ὕπα[illegible], quia Timotheum aurum nonnullum habuisse putavit, Silvestrum adprehendit, et dixit ei :

*p. 57. — *p. 58.

« Nisi dabis mihi quidquid reliquit Timotheus, supplicii adflictionibus te perdam ». Et responsum ei dedit Silvester, et dixit : « Audi verbum evangelii : ‘ Hac nocte animam tuam a te auferent ’[1], ut scias te Timotheum servum Christi inique damnasse ». Et, cum audiisset ὕπαρχος, infremuit, et iussit eum duabus catenis vinciri et custodia includi. Et, cum Silvester in carcere custodiretur, et Tarquinius in προαστέιῳ quod vocatur Sigmatis[2] pranderet, iudicium Dei eum consecutum est, et os piscis gutture eius inhaesit, neque incantationes eum adiuverunt neque ars medicinae, sed ab ipso prandio usque ad mediam noctem molestatus et vexatus obiit, secundum verbum Silvestri. Et hora, qua Tarquinii cadaver cum adflictione ad sepulcrum efferebatur, Silvester custodia cum gaudio solvebatur, a fidelibus deductus ac laudatus ; [et][3] ad papam Miltiadem eum adduxerunt ; et christianis argumentum magnum ac παῤῥησίαν effecit, paganis autem pudorem atque opprobrium ; et qui eum Tarquinii mandato contumelia adfecerunt pedes eius prensabant et ne mors dira secundum verbum eius eis sicut ὑπάρχῳ accideret obsecrabant ; et gratia ei haerebat, ut a fidelibus et a paganis amaretur. Et, post tres annos, a Miltiade diaconus consecratus est, et magis quam socii sui in clero clarebat, nec moribus gloriosus erat, nec superbiebat, sed verecundus erat valde *atque humilis, et consuetudinibus suis spiritalibus et caelestibus insignis erat, et facies eius ut angeli nitebat, et sermone suo eloquens erat, et actu suo sanctus erat, et corpore suo sanus, et vitae rationibus suis praestans erat, et fidelis erat et consilio suo magnus, et spe sua patiens erat, et dilectione sua non variabat. Et quoniam cunctas eius virtutes dicere non valeo, ad gestorum eius aliquot narranda sermonem meum converto. Cum igitur sanctus Miltiades obiisset et ad Dominum nostrum discessisset, omnes simul clerici et laici alta voce clamabant dignum esse Silvestrum qui fieret episcopus. Et is quidem detrectabat, et de se ipso ostendebat se adulescentem esse atque indignum ; et, quantum ipse detrectabat, *tanto* magis ipsi clamabant ; et, ne multa dicamus, Dei voluntate fit episcopus ; et ita populum cottidie admonebat, ut multi idololatriam reliquerint et ad Christum confugerint. Hoc tempus fuit ubi Euphros[4] episcopus Pamphyliae Romam pervenit, reliqui-

*p. 59.

[1] Luc., xii, 20. — [2] Gr. Σίγμα. — [3] In ms. excidit. — [4] Gr. Εὐφρόσυνος.

arium apostolorum sanctorum tantum adoraturus, et pueritiae votum postquam senuit et episcopus erat completurus. Et gratia Dei ei haerebat, ut quicunque morbo *tenebatur et ei fide* adpropinquabat sanaretur; et daemones in nomine Domini nostri Iesu Christi expellebat; quoniam vir fuit Dei timens, et propter nomen eius multum passus erat. Hic, quando sacrificium oblationis sanguine carentis offerebat, colobium [1] induebat, quod Iacobi apostoli fuisse dixit, et 'oportet' (inquit) 'eum qui mysteria oblaturus adpropinquat * non solum spiritu sed etiam corpore splendidum esse et purum et albis *vestibus* indutum'. Et nimirum sacerdotes Romae usque hodie colobiis [2] utuntur; sed quoniam in his brachia nuda sunt dalmaticas [3] μᾶλλον sibi ad induendum excogitaverunt. Et Silvestrum admonebat oportere sacerdotes omnibus operis mundi vacare, et oratione constantes esse, verbum prophetae recordantes qui dicit: « Convertimini [4] et scite me Deum esse » [5], et illud apostoli « Qui militat, mundi negotiis non implicatur, ut ei qui eum elegit placeat » [6]. Et, quoniam scribae nuncupationem septem dierum septimanae a paganis *ductam* reprehendebant, qui vocabantur sol et luna, et Ἄρης, et Ἑρμῆς, et Δῖος [7], et Ἀφροδίτη, et Κρόνος, hos appellavit Silvester, pro luna secundam feriam, et pro Ἄρεως tertiam, et pro Ἑρμοῦ quartam, et Δίου quintam, et Ἀφροδίτης praeparationem, et Κρόνου sabbatum, et diem solis primam feriam vocavit, quo fuit Resurrectio, qui primo septimanae initio ornatur et lucis ortu, quoniam eo dixit Deus « Fiat lux, et facta est lux » [8]. Et, quoniam controversia inter occidentales et orientales accidit, quoniam orientales sabbato comedunt et occidentales ieiunant, statuit Silvester aequum esse ut sabbato ieiunemus, et etiam quinta feria [9]; sabbato, quia Dominus noster in sepulcro fuerit, et apostoli ieiunarent; et prima feria qua surrexerit debere nos gaudere ac laetari, et laudare; quinta feria autem oportere nos rursus * ieiunare, qua oleum unctionis consecretur, et praedicatio nova

* p. 60.
* p. 61.

[1] κολόβιον. — [2] κολόβια. — [3] δαλματική. — [4] LXX σχολάσατε. Syrus, eo quod lectionem vers. syr. substituit, citationis vim perdidit. Hinc effici videtur acta graece scr. esse. — [5] *Ps.* XLVI, 10. — [6] I *Tim.*, II, 4. — [7] Genit. Διός ut nomin. intellexit syrus. — [8] *Gen.*, I, 3. — [9] In gr. et lat. dicitur 5ª feria ieiunare non oportere, quod contextus hic etiam poscere videtur. Eadem incongruitas in 12174 invenitur.

corporis Christi detur, quod nos peccatorum remissione dignos efficiat, nosque a custodia educat. Haec paucis *verbis* de doctrina eius hic notavi; dehinc autem miraculorum quae in nomine Domini nostri Iesu Christi fecit nonnulla interpretabor. Erat draco magnus, in spelunca profunda montis Tarpeii, super quo Capitolium aedificatum est. Ad hunc semel mense theurgi quidam et virgines magae quae eis haerebant, trecentis et sexaginta gradibus, in abyssum, ut *ita* dicamus, terrae descendebant, eique cibum deferebant, et ritus magicos faciebant. Et interdum draco ille adscendebat, et extra speluncam non exibat, sed venenum efflabat, et multi inficiebantur qui aderant et aera [1] qui eo inficiebatur inhalabant, et Romae moriebantur, et praesertim infantes. Et, cum Silvester cum paganis disputaret, et de fide vera quae in Domino nostro Iesu Christo *est* eis ostenderet *eos*que dirigeret, contra eum dixerunt: « Si Christus, quem tu proclamas, Deus verus est et potentia eius magna ac praevalens *est*, descende in nomine eius, et draconem etiamsi unum annum cohibe, ne adscendat [et] homines complures ac multos hic inficiat, et in eum credemus ». Et dixit eis Silvester: « Dominus noster Christus et in hac *re* potentiam suam ostendet. Contumacitas vero vestra haec et alia postulata inveniet, quae ei quidem facilia sunt, vobis autem obstant et impedimento sunt ut convertamini et veritatem sciatis et vivatis ». Tunc Silvester filios ecclesiae sanctae congregavit, viros spiritales ac Dei timentes, et * ieiunium tres dies proclamavit; et oratione constantes fuerunt, et Dominum nostrum Iesum Christum precati sunt ut humanitati sicut semper ab hac bestia exitiali salvator fieret, et nominis sui sancti potentiam ostenderet. Et, cum tres dies complessent, Petrus apostolus in visione Silvestro apparuit, eique dixit: « Sume tecum Theodorum et Dionysium et Felicissimum presbyteros, et Onormatum [2] et Romanum diaconos, et in ipso ore speluncae oblationem offer; et tunc, cum in speluncam descendes, portas aeneas in ea invenies. Claude eas in faciem draconis, et sera quam ibi depositam invenies obde, et κλεῖδας ibi quacunque vis defode. Et Domino nostro Iesu Christo precatus dic: 'Ita dicit Petrus apostolus: Posthac non aperientur hae portae, usque ad diem tremendum iudicii' ». Cum autem

* p. 62.

[1] ἀήρ. — [2] Gr. et MOMBR. 'Honoratum'; 12174 'ΩΝΤΤ' (Conothatus ?).

Silvester descendisset, putaverunt pagani timorem eum occupaturum. Is vero confidenter absque timore descendit et quidquid ei ab apostolo *Petro mandatum erat* complevit; et veneno exitiali illius draconis urbs ex illo die liberata est. Et praeteriit mensis unus et duo, et rursus non apparuit neque adscendit; et draconis ministri eum *sancti oratione* devictum esse cognoverunt; et venerunt et ad pedes eius ceciderunt, et crediderunt et in Christo baptizati sunt. Illo tempore mandatum a rege exiit ut christiani ubique *persecutionem paterentur*, et idola adorarent; et Silvester ad Soraptium [1] montem recessit, et cum suis ipsius clericis ibi latebat. Constantinus autem, qui Maximinam filiam Diocletiani acceperat, *cum christianos* * *multos* persequeretur atque occideret, ulcere [et] [2] scabie et squama in corpore percusssus est; et medici multi et incantatores et radicum runcatores, et magi qui e Perside missi *erant ei haerebant, nec* quidquam ei profecerunt. Tunc adpropinquaverunt sacerdotes Capitolii templi et dixerunt: « Infantes qui non corrupti sunt ex omni regione congregentur, et lavacrum in templo struatur, paratis qui eos sacrificent; et, cum sanguis eorum iam caluerit, descende rex *et* lavare, et mundaberis et sanaberis ». Et, cum infantes qui parati erant congregati essent, et rex ad templum ad ipsum Capitolium profecturus exiisset, puerorum matres ei occurrerunt, suspiriis eiulantes et comas solventes, et scissis vestibus, et cum fletu coram rege propter filios suos clamantes, et terram commoventes, et pulvere quem circumiciebant aera [3] obscurantes. Et, cum rex percontaretur: « Cur quae modo congregatae sunt clamant et cum suspiriis flent? », dictum est ei: « Matres sunt puerorum qui *in eo sunt ut* occidantur, quae ob filios flent ». Et suspiravit etiam rex, et victus est et ploravit; et exclamavit et dixit: « Imperium dominiumque regni Romanorum fons misericordiae ac dilectionis est, et eas vobis ostendam; quod ego etiam his *rebus* praeditus sum *eas*que volo. Eligo mihi infantium salutem et matrum eorum gaudium, potius quam sanationem quae mihi secundum casum *futura erat* aut non *futura*. Ergo infantes statim matribus reddantur. Aequum est enim pro his infantibus amatis ac puris mori, neque ut aliquis his occisis ipse sanationem ac vitam consequatur quae incertae

* p. 63.

[1] Gr. Σοραπτινῷ, et ita 12174; Mombr. 'Sirapti', et ita semper. Ms. hic tantum 'Sorapium'. — [2] In ms. excidit. — [3] ἀήρ.

sunt. Cum enim hi matribus suis dilectione reddentur, * suspirio desinent, et lacrimae pro eis *effusae* ⌜in laetitiam convertentur⌝ [1]. Detur vero eis et ἀνάλωμα, quod unicuique earum sufficiet secundum longinquitatem regionis, et vestes ». Et, cum haec mandasset, ipse ad palatium [2] reversus est. Et ea nocte Petrus et Paulus ei in visione apparuerunt eique dixerunt: « ⌜Nos misit Dominus noster de salute tibi praedicaturos [3] ut vivas. Ideoque Silvestrum episcopum cum honore arcesse; qui cum a te fugit in monte Soraptio latet. Hunc si videbis atque audies et *si* huius consilia perficies, ipse tibi [piscinam vitae] [4] ostendet teque aqua viva lavabit quae corpus tuum atque animam sanabit, et te vita ac sanatione aeterna dignum faciet; quia tu puerorum misertus es, eosque vivos servasti nec perdidisti ». Et, cum haec cum eo in visione dicerentur, attonitus est et e somno suo expergefactus est; et medicum invenit qui secundum morem ulceribus eius σπλήνιον suaveolens imponere paratus erat; et dixit ei: « Dehinc his medicamentis humanis haud delectabor; sed manum Christi mihi profuturam credo ». Cum haec dixisset, ad Soraptium montem statim misit et Silvestrum cum magno honore adduxit; et, cum intraret, rex coram eo surrexit, eumque salutavit, et dixit: « Multum gavisus sum quod te valentem venisse vidi ». Et respondit, et dixit ei Silvester: « Pax tibi a caelo detur et victoria ». Et dixit rex: « Adiuro te per Deum ut dicas mihi *an* hi sint di vestri Petrus et Paulus ». Et sermonem ei reddidit Silvester et dixit: « Nobis unus Deus est, quem timemus atque adoramus, qui mundum e nihilo fecit, hoc est * caelum terramque et quidquid in eis est. Petrus vero et Paulus haud di sunt, sed Dei servi qui ei placuerunt et fide claruerunt, et in praedicatione primi *sunt*; et apostoli a Deo constituti sunt; et illi primi de deitate Filii Dei Domini nostri Iesu Christi populis proclamaverunt; et tota ecclesia per eos initium accepit; et, cum apostolatus sui ministerium complessent, ad martyrium pervenerunt, et Omnitenentis sunt pronubi ». Et cum rex haec audiisset gavisus est, et dixit: « Oro te, ut si sunt tibi effigies imaginum eorum mihi ostendas, ut

* p. 64. — * p. 65.

[1] Ms. 'prudentes delectabunt'; vide not. ad textum. — [2] παλάτιον. — [3] Gr. ἡμεῖς ἐσμὲν Πέτρος κ. Παῦλος οἱ πεμφθέντες παρὰ τοῦ Θ. δοῦναί σοι σωτηρίας σύμβολον; vide l. 23, ubi nomina apostolorum hic non data scit. — [4] In ms. excidit; cf. p. 46, l. 6.

formas eorum sciam, et an ipsi sint qui mihi dixerunt se a Deo magno ad me missos esse videam ». Et tunc Silvester diaconorum uni mandavit et effigies eorum attulit. Et, cum Augustus eas vidisset, clamare incepit et dicit : « Non est in eis diversitas a specie eorum quos vidi, qui mihi dixerunt ‘ Silvestrum 5 episcopum arcesse ; et ipse tibi piscinam vitae ostendet, in qua si lavaberis, ulcerum tuorum sanationem consequeris ’ ». Et dixit ei Silvester : « Sci baptismum vitae hoc esse, ut in Christum Dominum nostrum e toto corde tuo credas ». Et dixit Augustus : « Nisi credidissem, nec te arcessiissem ». Et, dum eum ut baptizetur 10 obsecrat, dicit ei Silvester : « Ieiuna hac septimana, et vestimenta regni tui a te depone, et conclave tuum intra, teque super sacco coram Deo cum lacrimis humilia, et confitere te errore servos eius sanctos occidisse ; et templa paganorum hac septimana claudantur, et sacrificia foeda ab eis intermittant ; et eis qui tributum debent 15 neque habent unde solvant condona. Vinctos dimitte, et in ἐξορίαν pulsos reduc, * et qui passim custodiuntur atque affliguntur ; et pauperibus eleemosynas fac. Eis qui te recte rogant dona da ; et, ubi haec a te ordine perfecta erint et mihi nota erint, tunc tibi ad Dominum nostrum mediator ero ». Et promisit rex se omnia haec 20 bona voluntate diligenter facturum. Et Silvester manum ei imposuit, eique benedixit et fecit eum catechumenum ut institueretur, et discessit. Et sacerdotes ac fratres ecclesiae vocavit, et ieiunium proclamavit et dixit : « Si Ninivitae praedicatione [1] Ionae ieiunium decreverunt, et mortis comminationem iustam et iram quae 25 super eos *erat* evaserunt, quanto igitur magis, si animarum fratrum nostrorum saluti studebimus, persecutio ab osore *agitata* a nobis intermittet, et ecclesiis orbis pax erit, et idololatris dedecus! » Factum est ergo, consensu omnium qui audiverunt, ieiunium et supplicatio et eleemosynae, secundum facultatem uniuscuiusque, 30 ⌜dies vero septem ut eos decuit. Et, cum completi essent [2], ad regem accessit et dixit : « Audi, rex. Haec aqua, invocatione nominum Deitatis adoratae, vim eius divinam accipit, et totius corporis quod oculis extrinsecus videtur sordem mundat, et

* p. 66.

[1] Ms. ‘ ieiunio ’. — [2] Gr. καὶ τῷ σαββάτῳ ὅτε ἐτελέσθη αὐτοῖς ἡ ὡρισμένη νηστεία, et similiter lat. et 12174. Legendum fortasse : ܒܝܘܡܐ ܕܝܢ ܕܫܒܬܐ ܕܦܣܩ ܠܗܘܢ. ܟܕ ܫܠܡ ‘ die autem sabbati, quem eis constituit, cum completum esset (ieiunium) ’.

animam interiorem a peccato, ut splendeat magis quam sol et luceat. Itaque, rex, in nomine sancto baptizare, et a peccatis tuis mundare, Constantine ». Et, cum haec dixisset, eum oleo fragrante sancto unxit, et aquas consecravit et precatus est, et secundum 5 ordinem ecclesiae eum baptizavit. Et vox audita est, et lux magna apparuit, et aqua ut in τηγάνῳ ebullivit ; et a corpore regis * squamae, ut a carne piscium multorum, in eam descendunt. Et, cum rex ex ea adscendisset, corpus eius purum erat ut infantis ; et narravit se, cum ipse in aqua esset, manum sensisse quae de 10 caelo descenderit eumque tetigerit. Et albas vestes induit ; et die primo νόμον huiusmodi statuit : quicunque in imperio eius in Christum blasphemare ausurus esset, et cuiquam fidelium iniuriam facere, dimidio bonorum suorum mulctatum iri. Et suis ipse manibus δίκελλαν sumpsit, ut e toto corde christianus esse ab 15 omnibus crederetur ; et in palatio [1] suo Lateranensi vocato formam fodiendo designavit, et ecclesiam in nomen Christi Domini nostri aedificari iussit. Et post haec mandata fecit : quicunque ex omni animo fidelis esse vellet, a δημοσίου eleemosynas et vestes sibi recepturum si indigeret. Et de hac *re* diligentes quidam instituti 20 sunt ut prudentes probarent. Et fuit numerus eorum qui e paganis ibi illo anno baptizati sunt duodecim milia virorum, praeter mulieres et pueros ; et fidelium pars augebatur ac crescebat, et infidelium pars minuebatur. Et συγκλητῷ, quae regi in ipsa basilica Olympia [2] vocata adpropinquavit credendi causa, talia 25 verba dixit : « Rationes pollutae animarum paganorum radios lucidos ac divinos accipere non possunt, quanto idololatriae tenebris deditae sunt et *eis* retinentur ; eis enim occaecantur atque obscurantur. Et oportet eas luci adpropinquantes tenebras timoris daemonum atque imaginum respuere, quae ab hominibus fiunt ; 30 non enim di sunt qui ab hominibus fiunt, et servantur ne surripiantur. Et * me ipsum nimirum multis exemplum facio, ut Deum timeant qui ipse nos fecit et ipse nos renovavit ; neque ab alio fuit mihi sanatio aut renovatus sum. Ideoque idololatriae error deleatur, quem stultitia quidem peperit, insania autem aluit, et unus tantum 35 Deus adoretur et honoretur, qui in caelis vivit ac regnat. Sufficit nobis eos honorare qui nobis prodesse non possunt, eos quos ipsi

* p. 67.

* p. 68.

[1] παλάτιον. — [2] Gr. Ἰουλπία ; leg. ‘ Ulpiana ’.

ne laedantur servamus, et ne surripiantur custodimus. Sufficit nobis surdis dicere 'Audite', et caecis 'Videte'. Gaudete vero mecum et exsultate omnes, quod Christus quem negabam mihi sanationem ut prius *fuit* dedit. Ergo scientia ac sapientia nostra Romanorum ne diutius desipiat, sed Christum accipiat, eumque adoret; qui Deus est a quo adiuvatur, nec *quem* ipsa conservat. Et, ut omni mundo notum fiat me in Deum verum credidisse, in palatio [1] meo ecclesiam recte aedificandam curavi, ut ita omnes qui me cognoverunt prioris erroris nihil in corde meo mansisse sciant ». Tunc δῆμος et σύγκλητος « Christus Deus est » clamaverunt quadragies; et « Ecclesiae aperiantur » clamaverunt decies; et « Qui Christum non timent Augusti inimici sunt » clamaverunt decies; « Qui Augustum sanavit Deus verus est » clamaverunt tricies; « Qui Christum timet semper victor est » clamaverunt vicies; « Qui Christum non adorant urbe expellantur » clamaverunt quadragies. Et, cum siluissent, dixit rex: « Inter Deum et humanitatem haec est differentia; quoniam humanitas subiecta est atque indigens, et Deitas * sui iuris et haud indigens, et super omnia regnat, et vult etiam perfectione libertatis hominum ab ea adorari et honorari. Ergo non invitos sed sponte homines christianos fieri volumus, neque ob timorem hominum, sed ex animo perfecto ut magno christianorum socientur coetui orare qui paenitentiam agunt ». Et rursus cum φωνὰς diversas clamassent tacuerunt. Et rex ad palatium [1] reversus est, lampadibus [2] et cereis [3] deductus, atque universa urbe decorata. Et hic νόμος statutus est: ne quis a cultu suo vi recederet, neve cultum quod nollet adorare cogeretur. Et fuit gaudium ac laetitia in omnibus ecclesiis; et templa reliquiarum sanctorum decorata sunt, et cuncti fideles qui relegati *erant* ut ad regiones suas redirent vocati sunt; et regi cari propinquique facti sunt. Ceteras autem res quae factae et dictae sunt taceo nec refero, ne lectori molestus fiam. Quoniam vero postulat historia ut de Helena regis matre quae acciderunt discas, haec in Bithynia fuit, cum duobus filii sui filiis, Constante et Constantio Augustis, ibi degentibus. Et, cum audiissent Iudaei regem disciplina institutum esse et sanatum et christianum factum, adpropinquaverunt eique indicaverunt *eum* non a Christo sanatum esse cum baptizatus

[1] παλάτιον. — [2] λαμπάδα. — [3] κηρίον.

esset, sed a Patre, quem illi adorant; et eunuchos qui ei haerebant donis corruperunt, eamque incitaverunt et ad regem filium suum Constantinum ita scripsit: « Victor [1] ac potens inimicorum nostrorum et Auguste fili mi Constantine, mater tua Helena, salutem. Ratio vera veritatem non statim repellit, nec fides vera unquam in ulla re damnum patietur. Itaque * a Deo est, mi fili, te eum cognoscere et sanari meruisse, scilicet ab errore idolorum recedentem. [Ut] [2] autem credas Iesum nazarenum Deum esse in caelis, et filium Benedicti, error est, qui vir fuit a Iudaea, et quia decipiebat comprensus est, et sententiam crucis accepit et mortuus est. Et fidelitati tuae sanatio hoc proposito tributa est, quia idololatriam rex primus eiurasti; et Deus verus Iudaeorum praeter se non esse deum ostendere voluit; et ipse tibi sanationem dedit, ut, dum idola non times, sed ab adoratione eorum recedis, *ea* adorata non posse prodesse, nec contumeliam passa maleficere [cognosceres] [3]. Morbus ergo te reliquit ubi ea reliquisti; et nunc, mi fili, si ad Deum omnitenentem redibis, vires et robur quod non vincitur ac superatur ab eo accipies, et fortis fies ut David, et sapiens ut Salomon, et prophetae quibuscum Deus locutus est tibi auxilio erunt, et quidquid ab eo per eos rogabis impetrabis. Vale semper ac flore, aeterne Auguste ». Et ad haec responsum scripsit ei ita: « Domina mea aeterna, regina, mater mea Helena, Constantinus Augustus. Qui omnia creat et saecula comprendit, et creaturas tenet et gubernat et vivificat, et potentia omnibus halitum vitae dat ut vivant, humanitatem etiam regibus honorem debitum praestare iussit, et, sicut imperium nostrum inter homines altum est atque excelsum, ita mandatum nostrum in eos regnat. Ideoque omnium hominum oculi et mentes et consilia * id quod nobis placet perficiunt, et id quod non probamus ipsi quoque respuunt. Et nimirum, Augusta mater mea, non solum non turpe fit quod nos fecimus ac probavimus, sed et voluntas nostra aequa est et laudabilis, et quod nolumus turpe est et haud acceptum. Et quae dixi ad dispensationem nostram pertinent, ut Deum vero intellegamus a mente nostra procul est! Absit ergo haec audacia et a

[1] Hic inc. textus lat. a Wicelio (Mogur..e, 1544) editus sub nomine *Disputatio Christianorum et Iudaeo..... coram Imp. Constantino.* Textus gr. harum epp. in *P. Lat.*, VIII, 530, legi potest. — [2] In ms. excidit. — [3] In ms. excidit; gr. εἰδέναι ἔχοις.

nobis pellatur; et doctores Iudaeorum ac christianorum apud nos congregati una conveniant, et coram nobis disputent et quaestionem suam ante oculos nostros ostendant, ut disputationis veritatem fidemque argumentis ipsi inveniamus. Ita enim nobis ipsis ex ipsis sanctis Scripturis persuadere valebunt, et per nos mundum universum ad fidem veram ducere. Vale tu, mater meà, et bonis *rebus* abunda ». Tum doctores Iudaeorum congregati sunt, et eruditos quosdam elegerunt Romam cum Helena adscensuros, eam comitantes. Et summus sacerdos eorum illo tempore fuit Issachar; et simulavit se infirmum esse, et ab itinere se excusavit; et duodecim scribas pharisaeorum misit, qui lingua latina et graeca et hebraica adprime periti erant, et in disputatione prospere se gerere debebant. Et. ābh mense, ὑπατείᾳ quarta [1], fuit Romae Iudaeorum et christianorum concilium. Et ab urbibus convenerunt episcopi XXIV, et a Iudaeis congregati sunt sacerdotes CXX, quibus praeerant principes duodecim, quorum nomina haec: Abiathar et Ionas magistri, Godolias * et Aunan scribae, Doec et Cusich [doctores] [2], Beniamin et Ariel νομικοί, Iubal et Thare principes pharisaeorum, Šilun et Zambri presbyteri Iudaeorum. Zambri vero theurgus fuit ac magus, ut tandem apparuit; et multum eo confidebant se per eum superaturos; sed spes hominibus nixa vana est. Silvester autem Deo confidebat; et trophaeum in ἀγῶνι is cepit et coronatus est. Et, dicentibus *eis* « Christianorum duodecim eligantur disputationi duodecim doctorum Iudaeorum restituri », tum dixit Silvester: « Non hominum multitudine confidimus, sed ad Dei potentiam tantum confugimus, dum dicimus 'Surge, Deus, et lites tuas iudica' [3]. Et, quando hominum auxilio destituimur, Dei potentia confirmamur ». Et respondit Abiathar et dixit: « Hanc sententiam noster propheta dixit. Ergo, si pro Iesu contendis et disputas, noli de nostris loqui, sed de vestris sermonem redde ». Et respondit Silvester et dixit: « Omnia quae hic hodie dicentur de vestris Scripturis contra vos loquemur, neque de nostris victoria in Domino nostro Iesu aperte clarebit, ubi de vestris ipsorum in disputatione superabimini ». Et dixit rex: « Rectum et aequum *est* iudicium quando suo quisque superari apparuit ». Et dixit Abiathar: « Quandoquidem Deus dicit 'Videte

[1] Anno 315. — [2] In ms. excidit; gr. διδάσκαλοι; cf. p. 54, l. 8. — [3] *Ps.* LXXIV, 21.

et scite me esse, et praeter me non est Deus' [1], quomodo vos dicitis oportere Trinitatem adorare? et dico Deum nostrum, et Iesum quem vos adnuntiatis, et Spiritum sanctum. Ergo, dum Trinitatem adoratis, hunc qui dixit 'Non est alius praeter me', necessario * respuitis [2] ». Et dixit Silvester: « Nos unum Deum confitemur, eumque timemus. Non autem censemus Deitatem eius *facultate* vacuam esse ut in filio a se *orto* laetetur ac gaudeat. Filium autem dicimus eum de quo dixit rursus propheta vester: 'Verbo Domini caelum factum est' [3]. Et de Spiritu in quo speramus ipse propheta dixit: 'Spiritu oris eius omnes exercitus eius' [3]. Filium dicimus eum de quo dixit rursus in propheta, 'Filius meus es, et ego hodie te genui' [4]. Deus vero, quoniam omnium *rerum* causa est et ante tempora, non habet heri et hodie; et sicut est olim in principio sine initio Deus pater est et genuit. Sin autem, cuinam dixit 'Faciamus hominem in imagine nostra ac similitudine' [5]? Si enim dixisset 'Faciam hominem in imagine mea ac similitudine', iuste confitendum esset ʳet vestigium *eum* unam esse hypostasin [6]. Ergo quia dixit 'in imagine nostra ac similitudine', manifestum est *eum* Filium suum Dominum nostrum [7] significasse; fieri enim non potest ut quidquam eo maius esse opinemur quod eum adiuvet, neque imminutionem accipit, quod perfectus est, neque additamentum quod completus est ». Et dixit Rabbi Ionas: « Humana ratione fides non accipienda est. In quem enim deum nobis credere suades, vir qui Patrem et Filium et Spiritum confiteris? » Et dixit Silvester: « Cum in Scripturis leges, invenies dixisse Patrem de Filio 'Filius meus es'; tunc intelleges quod dicitur nostrae Trinitatis confessioni haud alienum esse, cum et de Spiritu audies dixisse prophetam orantem: 'Spiritum sanctum noli a me auferre' [8]; * et rursus alium prophetam 'Spiritus a me procedet' [9]; et rursus alium prophetam qui dicit: 'Spiritu oris eius omnes caeli exercitus' [10] ». Et dixit Constantinus: « Miror Iudaeos, qui, de Scripturis suis ex omni parte superati, quaestionem agere et veritatem obscurare impudenter persistunt. Quare, cum de Patre et

[1] *Deut.*, XXXII, 39. — [2] Ms. 'adoratis'; gr. προσκρούουσι; vide praef. ad textum, p. ii. — [3] *Ps.* XXXIII, 6. — [4] *Ps.* II, 6. — [5] *Gen.*, I, 26. — [6] Vel '*eum* unam esse hyp. ac vestigium'; gr. ἕνος προσώπου ἴχνη παρέχειν. Locus fortasse corruptus est. — [7] Gr. add. κ. τὴν ἰσότητα, quod contextus sequens requirit. — [8] *Ps.* LI, 11. — [9] Is., LVII, 16. — [10] *Ps.* XXXIII, 6.

Filio et Spiritu verbum veritatis de Scripturis satis cognitum sit, si quid acceptum eis manet, ostendant Iudaei ». Et Godolias dixit : « De eo dicimus de quo scripsit evangelium eorum eum natum esse, et statura ac sapientia crevisse [1], et a diabolo tentatum esse, et a discipulo suo traditum, et venditum et comprehensum et sugillatum [2] et flagellatum, eosque eum deridisse, necnon acetum felle mixtum ei bibendum dedisse, et ei in capite coronam spinarum imposuisse, eumque vestibus eius nudasse, et sortibus divisas esse, et cruci adfixum esse, et mortuum et sepultum ». Et respondit Silvester et dixit : « Haec omnia de Christo Deo nostro perfectum iri prophetarum Scripturis antea proclamatum est, ut statim ostendemus. Dixit enim de nativitate eius propheta Isaias, ' En ! virgo concipiet et filium pariet, et nomen eius vocabitur Emmanuel ' [3]. Et eum cum hominibus conversaturum, audi rursus prophetam qui dicit : ' En ! Deus noster, cui similis non est alius. Viam sapientiae invenit, et dedit eam Iacobo servo suo, et Israel dilecto suo ; et postremo super terra visus est, et cum hominibus conversatus est ' [4]. Et eum a diabolo tentatum iri, qui ab eo superatus est, dicit Zacharias propheta : ' Vidi Iesum summum sacerdotem stan*tem, et Satanam a dextra eius stantem ei adversaturum, *[et] [5] ei dicit, Increpet te Deus qui Hierosolyma elegit ' [6]. Et eum comprehensum iri sapientia Salomonis dicit : ' Dixerunt impii, Ligemus iustum quod nobis non convenit » ' [7]. Et discipulum eius porro eum traditurum dicit psalmista : ' Qui panem meum comedit, is calcem contra me sustulit ' [8]. Eum autem nudatum iri et vestes eius divisum, ipse propheta dixit ' Vestes meas inter se diviserunt, et super vestitu meo sortes iecerunt ' [9]. Et eum a testibus falsis insimulatum iri propheta porro dixit : ' Testes iniquos contra me comparaverunt ' [10]. Et spinarum coronam ei impositam esse dicit Ieremias : ' Hic populus spinas peccatorum suorum mihi imposuerunt ' [11]. Et eum fel comedisse et acetum bibisse dicit propheta : ' Dederunt cibum meum fel, et in sitim meam aceto me potaverunt ' [12]. Et eos eum derisisse dicit Ieremias : ' Factus sum in derisum huic populo et ludibrium ' [13]. Et eum ligatum iri, et in ligno a

* p. 75.

[1] Luc., II, 52. — [2] Vox [illegible] hunc sensum habere e p. 62, l. 20, et 63, l. 1, videtur ; Cedr. (p. 481) ἐμπαιχθέντος ; Comb. om. — [3] Is., VII, 14. — [4] Bar., III, 35-37. — [5] In ms. excidit. — [6] Zach., III, 1, 2. — [7] *Sap.*, II, 12. — [8] *Ps.* XLI, 9 — [9] *Ps.* XXII, 19. — [10] *Ps.* XXVII, 12. — [11] Locus ignotus. — [12] *Ps.* LXIX, 21. — [13] *Lam.*, III, 14.

Iudaeis crucifixum dicit Esdras : ' Ligastis me, non ut patrem vestrum qui ex Aegypto vos servavit, coram βήματι iudicis clamantes. Tradidistis me et humiliastis, *ita* ut in ligno suspensus sim ' [1]. Et eum sepultum iri dicit Ieremias ' Sepultura eius vivent mortui ' [1]. Die enim quo Dominus noster Iesus spiritum suum tradidit cum passus esset, sepulcra aperta sunt, et corpora multa sanctorum surrexerunt, et sol obscuratus est die, et facta est nox, et velum templi scissum est, et terra ubique movit [2]. Et, si ostendere valebis, o Iudaee, in Scripturis tuis haec omnia in prophetis non indicata esse et me mendacem arguis, vincis. Si autem vere a prophetis in Scripturis dicta atque indicata sunt, prophetis tuis obtemperare te oportet, eaque ut vera accipere, etiamsi * verbis meis contrarius sis. Et, si de eis dicis mentitos esse *eos* in eis *rebus* quas scripserunt, cultum tuum ac fidem solvis ; quod si vera esse confiteris, testes veritatis eos ostendis, et Christum Deum nostrum, quamvis invitus, iuste adorare debebis ». Et Constantinus dicit : « Si haec in Scripturis vestris indicata sunt, supervacuo, Iudaei, de Christi passionibus dolos exercetis, quae in eo secundum proclamationem de eo in prophetis *factam* perfectae sunt. Ideoque si quid aliud habent ostendant, ⌜quoniam haec recte consequenter acciderunt [3] ». Aunan dicit : « Quod de aliquo sanctorum scriptum est de Iesu praedicat atque adnuntiat Silvester ; sed ostendat *ea* quod natus est et tentatus, et comprehensus et probris laceratus, et illusus et crucifixus, et mortuus et sepultus de eo cuncta perfecta esse ». Et dixit Silvester : « Necesse ergo ut cunctas Scripturas iteremus et tibi interpretemur. Verumtamen primum confitere eas esse Scripturas vestras, et nihil falsi eis inesse ». Et dixit Aunan : « Quodcunque a prophetis dictum est verum esse omnes dicimus ; sed, quae de aliis dicta sunt, tu dicis alium esse qui eis conveniat ». Et dixit Silvester : « Ergo alium ostende qui a virgine cum conceptus esset natus est et populos ad νόμον tuum convertit, et qui fel comedit et acetum bibit, et cui spinarum corona in capite imposita est, et *qui* crucifixus est et mortuus et sepultus ». Et Constantinus dicit : « Si Aunan alium ostendere non potest qui haec sustinuit, sciat se manifesto superatum esse ». Porro Doec dicit : « Promisit Silvester se de nativitate eius et tentatione et

* p. 76.

[1] Locus ignotus. — [2] Matth., XXVII, 50-52. — [3] Gr. δεῖ γοῦν κ. ταῦτα δικαίως κ. κατὰ λόγον ἐκβεβλῆσθαι ; lat. ' Ista iuste definita sunt '.

* p. 77. passione rationes idoneas dicturum, * et aequum est eum promissa sua praestare ». Et Silvester dicit : « Quoniam prophetiam veram esse dixistis, confitemini primum Virginem concepisse, et Emmanuel peperisse, quod interpretatur ‘ Deus noster nobiscum ’ ». Et dicit Constantinus : « Non statim taceret Doec, si tacuit Doec. Et dicit Constantinus : « Non statim taceret Doec, si exempla proferre valuisset ; et aequum est scire eum quae de Christo scripta sunt vera esse ». Et porro dixit Silvester : « Si alia habent, ostendant ». Et dixit Cusich doctor : « Non igitur nativitatis rationem nobis explicasti ». Silvester dicit : « Nonne in Scripturis legistis de limo terrae sumpsisse Deum, et hominem primum formasse ? » Et dixit Cusich : « Hoc quicunque legit scriptum esse meminit ». Et dixit Silvester : « Et hoc, serpentis consilio hominem in mortem incidisse et a paradiso lapsum esse, eique cum labore ac doloribus panem edere destinatum esse ? » Et dixit Cusich : « Ita est ». Et Silvester dicit : « Itaque propter transgressionem mandati ex Eden deliciarum pulsus est ». Et dixit Cusich : « Ita est ». Et Silvester dicit : « Terra de qua factus est Adam *utrum* corrupta erat annon ? » Et dicit Cusich : « Virgo fuit incorrupta, ut *ita* dicamus ». Et dicit Silvester : « Bene dixisti. Terra olim virgo fuit incorrupta ; quoniam maledictum spinas tribulosque emittendi non acceperat, nec quisquam in ea sepultus erat, nec reptile ea alebatur ». Et dicit Cusich : « Haec ita sunt ». Et dixit Silvester : « Quia bene consensisti haec vera esse, oportebat a Virgine Maria Adam novum nobis nasci qui serpentem tentantem
* p. 78. pellere poterat, eum dico qui primum hominem vicit, * eumque a captivitate liberare. Qui enim hominem in Eden vicit, ipse Dominum nostrum in deserto tentavit ; et, quoniam quia serpentis consilio comedit Adam cuncti nati eius morti subiecti sunt, ita propter Domini nostri ieiunium cuncti rursus vitam consequuntur. Et, sicut morti non subiecti sunt nisi qui ex ossibus et carne et sanguine Adam nascebantur, ita vitam aeternam in luce non consequuntur nisi qui ex aqua et spiritu nascuntur, et corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi recipiunt. Ideoque ipse qui diabolum in tentatione vicit, is paradisum nobis reddidit, et portam vitae quae a saeculo *est* nobis aperuit ». Et tunc Constantinus et σύγκλητος admirati clamaverunt et Silvestrum laudaverunt. Et surrexit Beniamin, et dixit : « Haud [illegible]pus est laudari Silvestrum ; quoniam multa nobis sunt cum eo dicenda ; et, quando

nobis satis de omnibus explicabit et defensionem iuste faciet, tunc et nos eum qui tandem in disputatione victor videbitur vobiscum celebrabimus ». Et dixit Silvester : « Hoc haud alienum est ut fautores iniquitatis iustos impediant ; sed et, a veritate victis, iudicium verum inter se differre eis cordi est. Sed tu etiam, Beniamin, dic quod vis, ut scias Spiritum sanctum, qui in corde nostro *est*, tibi responsum dare paratum esse ». Et dixit Beniamin : « Cum de Christi nativitate et tentatione eius et traditione, et de passione eius et morte a nobis interrogatus sis, de nativitate eius tantum pauca indicasti ; et convenit ut de omnibus ostendas. Et ob id dixi haud tempus esse te ut victorem celebrari ; quoniam tunc laudatur aliquis, quando perfecte vicerit ». Et dixit ei * Silves- * p. 79.
ter : « Confitere igitur me secundum verbum meum de nativitate eius bene de prophetis ostendisse, et sciam fortasse ita etiam et de ceteris passionibus eius te a me in ἀγῶνι sapientem factum iri ». Et Constantinus dixit : « Aequa est interrogatio sacerdotis Silvestri, et oportet te de eis quae ab eo de nativitate eius dicta sunt confiteri an bene dicta sint, ne rursus eisdem *rebus* detineamur ». Et Beniamin dixit : « Tunc accipiuntur quae dicta sunt quando eis *rebus* quae eveniunt non vituperantur ». Et dixit Silvester : « Dic sequentia ». Et Beniamin dixit : « Potest*ne* fieri ut Filius Dei a malo tentetur, et esuriat et de lapidibus panem facere cogatur, et ad pinnam templi adscendendo ducatur, ut semet deorsum iaciat, et, cum regna et gloriam eorum videt, si ea exoptat, tentatorem adoret ? »

Et dixit Silvester : « Errasti et oblitus es me vobis iam dixisse eum qui Adam vicerit, quia consilio eius ex arbore comederit, a Christo qui esurierit contemptum ac victum esse. Et audi quomodo non natura Deitatis suae, omnibus necessitatibus passionibusque nostris superioris, Christum tentatum esse dicamus, sed quia voluerit et incorporatus sit, et in omni re *unus* e nobis factus et in nostra similitudine praeter peccatum, et semet redemptionis pretium pro multis dederit. Et, quia fieri non poterat ut nudus in Deitate sua tentaretur Filius Benedicti, idcirco nobis cognatus a Virgine factus est, et humanitatis nostrae similitudinem secum consociavit, et homo perfecte factus est, dum est Deus perfectus, et in humanitate nostra ut homo ἀγῶνα fecit cum tentatore, et ieiunavit et vicit. Et animadverte hominem simplicem * cladem * p. 80.

Adam in lucta *acceptam* ad victoriam restituere non valuisse, neque etiam cum Deo proprie certare potuisse tentatorem, quod et creatura scabellum est sub pedibus eius. Et, sicut hominem primum filium virginis terrae incorruptae vicit tentator, et nos ad mortem ex eo nati sumus, ita ab homine secundo, Filio Virginis Mariae, Christo in quo 'omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitabat'[1], ut scriptum est, victus est, et ceteros Adam natos vitae quamvis invitus restituit; de qua *re* Dominus noster Iesus Christus dixit: 'Qui non ex aqua et Spiritu sancto nascitur, vitam aeternam non habet'[2]. Et, ut homo in carne nascitur et morte praeditus est, aliam etiam nativitatem in Spiritu nascitur, et vita aeterna praeditus est; et hanc nativitatem illo tempore Dominus noster nobis donavit. Et malum victum esse animadverte; et, cum semel in Adam primo vicisset, a Christo ter superatus est. Et, qui semel in Adam vicit, semel quidem superari satis erat; coram autem secundo ter superatus est. Cum enim super pinnam templi post ieiunium et famem staret Christus, et[3] malus ei terrae regna ostendisset, ut vanam gloriam exoptaret, qui ieiunio vicit, neque de lapidibus panem fecit, neque angelos vocavit, eum iam super brachia eorum sustenturos ne pede suo offenderetur ut victorem, ut nobis typum[4] pulcrum ostenderet ut in vestigiis eius vaderemus neve malus nos eliceret et πολιτεία ulla una vel duabus virtutis quae in nobis invenitur tantum efferremur vel superbiremus, et in hoc rursus eum superavit. Solent enim homines, ubi aliquis ieiunii abstinentia *utitur, ab eis honorari[5], scilicet a regibus et primoribus terrae, auri munera et donorum honores ei promittentibus; sed bonum ei *est* non adlici et efferri, sed hos quidem redarguere, hos autem admonere, et his blandiri[6], et nocentes ipsum etiam cavere, dum sapienter agit ne rursus cadat. Et idcirco Dñs noster Iesus Christus et hoc tempore etiam manifesto in lucta vicit, cum pecunia et adulatio ei a tentatore offerrentur, eumque rogaret ut fieret veritatis inimicus, eique totum mundum promitteret si caderet eumque adoraret. Sed audiit 'Vade retro me, Satana. Scriptum est: Dñum Deum tuum adorabis eumque solum coles'[7]. Vide me in eis quae narravi totam rationem

*p. 81.

[1] *Col.*, II, 9. — [2] IOH., III, 5. — [3] C[illegible] aliquot omissis duas tentationes confudit noster. — [4] τύπος. — [5] Sic syr. — [6] Vox fortasse corrupta. — [7] MATTH., IV, 3-10.

passionis tibi ostendisse. Sed crede nunc, o Iudaee, ut tu quoque tentatorem vincere possis, et Christi victoria nobiscum frui, eo quod in eum credideris et factis tuis iustificatus eris ». Et rursus δῆμος et rex et primores valde laudaverunt, eumque ob haec celebraverunt et laete siluerunt. Et clamavit Ariel, et dixit: « De Scripturis suis se nobiscum disputaturum promisit; et en! nostris nos in disputatione vincit ».

Et dixit Silvester: « Meminit Augustus et qui hic stant me a principio promisisse me omnem disputationem nostram de Christi passionibus et nativitate eius e Scripturis vestris facturum, quae de Christo antea scriptae sunt ». Et dixit Augustus: « Ariel earum *rerum* quae dictae sunt immemor factus est, et ad iterationem sermonis disputationis nos revertere voluit. Quare taceat, ne ut pravus poenam accipiat, aut ut errans culpam ».

Et Iobab[1] pharisaeus dixit: « Miror, ubi *de Christi tentatione tantum demonstravit Silvester, sapientiam vestram quasi de omnibus rebus dixisset ac vicisset, nunc laudare. Restat enim nobis cum eo quaestio magna, et oportet eum eam scrutari. Dico autem de eo quod a discipulo suo venditus et traditus est, et de illusione eius, et de eo quod eum nudaverunt, et de spinarum corona quam accepit, et de cruce eius et morte et sepultura ». Et dixit Silvester: « Meminisse debes, o Iudaee, me dixisse Deitatis natura fieri non potuisse ut Christus pateretur, sed eo quod a Virgine Maria incorporatus sit, ut dicit in Scriptura promisisse Deum Abraham: 'In semine tuo benedicentur omnes populi'[2], et *promisisse* David, 'De fructibus ventris tui super sedem tuam collocabo'[3]. In hoc ergo homine perfecto quem adsumpsit dicimus eum passum esse ac traditum, et tentatum esse ut diabolum vinceret, et passiones passionibus suis in carne subiceret, et mortuum esse ut mortem dissolveret et deleret ». Et dixit Iobab: « Ergo duo sunt Filii Dei, unus qui a Virgine natus est, et alter qui a Patre omnitenente generatus est ».

Et Silvester dixit: « Unus Filius est Christus. Sicut enim Filius Dei invisibilis est, ita Filius Dei revera homo visibilis absque mutatione factus est, ut nobis hominibus salutem perfectam daret ». Et Iobab dixit: « Quomodo fieri potest ut in homine quem adsumpsit

*p. 82.

[1] Ita hic et infra ubique scr. est, sed p. 50, l. 18, 'Iubal', et ita gr. et lat. ubique. — [2] *Gen.*, XXII, 18. — [3] *Ps.* CXXXI, 11.

patiatur [1]? » Et dixit ei Silvester : « Exemplo [2] quodam in hac *re* commoneri te oportet, ut scias, cum [3] e duabus naturis unio fiat, unam in iniuriam incidere, et alteram hac superiorem esse ».

(* p. 83.) *Et dixit Iobab : « Nullo modo potes mihi de his *rebus* explicando mihi persuadere ». Silvester dixit : « Iudaice haec dixisti, quod priusquam ipse quidquam de his *rebus* a me audias mihi respondisti me non valere promissa mea praestare ». Et dixit Iobab : « Fieri non potest ut quisquam exemplo me doceat e duabus *rebus*, cum in una fuerint, et simul nascantur [4], et simul crucifigantur, unam earum solam iniuriam pati ».

Silvester dicit : « Ergo si quo exemplo de hac *re* argumentum tibi facere potero, coram his primoribus te victum esse confiteris ». Constantinus dicit : « Invitus nolensque ut consentiat condemnabitur te arguente, cum duae naturae in unum unitae sint, unam earum pati, et alteram passione superiorem esse ». Et dixit Silvester : « En ! ut exemplo utar purpura regali. Fuit haec lana, quae conchylii sanguine mixta est, et ab eo colorem hunc accepit. Quae ergo cum carminaretur ut aut in fila deduceretur aut stamen ex eo cum torqueretur fieret, quaenam contortionem accipiebat, ἀξία purpurae regalis qua tincta est, aut lana tantum prima, quae etiam priusquam tingeretur exsistebat ? Et manifestum est ergo non pulcritudinem ἀξίας regalis *hoc passam esse*, sed hanc lanam quae contempta erat ⌜priusquam excresceret ac nasceretur (?) [5]. Et, his *rebus* ita agnitis, (* p. 84.) oportet nos hominem lanae comparare, *et colorem purpureum Deo Verbo, qui unitus erat et carne atque anima praeditus, et in nativitate et in passione et in cruce, cum ipse natura sua divina non laederetur, aut passioni omnino subiceretur ». Et, cum rex atque universi haec exempla veritatem esse clamassent, dicit Thare pharisaeus : « Hoc exemplum mihi non sufficit, quoniam in ipsa lana color simul carminatur, et simul netur ». Et, cunctis eum docentibus, cum omnia simul accipiat color, ipsum

[1] Gr. πάσχειν τὸν ἄνθρ. τὸν ἀναληφθέντα ἐκτὸς τοῦ ἀναλαμβάνοντος αὐτον. — [2] Hic inc. exc. de catena gr. sumptum quod a Mai *(Script. Vet. Nova Coll.*, VIII, II, 26) editum est. — [3] Cetera huius clausulae a Leont. Byz. *(P. Gr.*, LXXXVI, col. 1836) citata sunt. — [4] Gr. κατασχεθῆναι. — [5] Aliter vertere non possum ; gr. πρὸ τῆς βασιλικῆς ἀξίας ἐν τῷ τίκτεσθαι ; lat. ‘ que nascendo extiterit ’.

omnibus superiorem esse, et tantum lanam carminationi et contortioni et ceteris subiectam esse ac servire, dicit Silvester : « Peto a vobis, filii mei dilecti, silete paulisper, ut alium exemplum idoneum dicam, quod hic Iudaeus reprehendere ac vituperare non valebit ». Et adiecit et dixit : « Audi, Thare. Potestne arbor, cum radius solis super ea est, secari ? » Et dicit Thare : « Potest ». Silvester dicit : « Nonne vides cum secetur ferri ictum solem super arbore expansum primum accipere, sed radium cum in ea et cum ea sit non secari nec scindi valere ? Ita et Deitas non recedebat, nec secabatur vel patiebatur, sed in passionem incidit eique subicitur ⌜lignum quod [1] scindi ac teneri potest. Et haec quidem exempla, o Iudaee, ut homo vilis dixi. Quod vile *est* enim in his *rebus* a vili dictum est, quod prae dispensatione divina obscurum ac parvum *est*, ea autem quae revera acciderunt quantum *fieri* potest fidelibus indicat. Neque ut qui dispensationem comprehendam haec complete dixi ; natura enim creatorum *naturam increatam intellectu (* p. 85.) comprehendere non potest. Idcirco enim sibi suscepit ut a nobis incarnaretur, ut nos per adoptionem Deitatis suae natura dignos *eius*que participes faceret, et naturam nostram sibi adunavit [2] ; unionem autem dico inconfusam et immutatam, et incorruptam ; quam ipse solus compertam habet » [3]. Tunc universus δῆμος ipsorum Iudaeorum eum cum clamore celebrabant. Et, volente Augusto disputationis ἀγῶνι finem facere, tum dixit Silvester : « Šilun et Zambri soli restant ; ⌜et si et hi de disputatione recusaverint (?) ipsi [4] quidquid volunt atque opinantur dicere, famam contra nos spargent nos aut eos sprevisse aut *rationibus* eis non occurrisse ». Et dixit Šilun : « Bene facis quod obiectionem quae a nobis *orta esset* contra te documentum futuram intellexisti. Quare hoc tantum est quod a me *dicetur*. Si de Christo, quem venisse dicis, antea prophetaverunt prophetae, causas earum *rerum* quae scriptae sunt, iniuriae et humiliationis et passionum et mortis, ordine nobis ostende, ut nos etiam confiteamur eum esse de quo dixit Moses, ‘ Prophetam vobis constituet Deus mihi similem : eum audite ’ [5], et Daniel

[1] Gr. ὅ καθάπερ ξύλον. — [2] Gr. ενώσῃ. — [3] Hic expl. exc. ap. MAI. — [4] Locus fortasse corruptus ; gr. τούτους οὖν ἐὰν ἀπαρνησώμεθα. — [5] *Deut.*, XVIII, 15.

venturum esse Christum et occisum iri [1]. Et dixit Silvester: « Sensum earum *rerum* quae iam dicentur auditores scrutari opus est. Ergo a vobis peto, filii dilecti, ut verbis meis animadvertatis. Non enim huius interrogationi tantum sermonem reddam, sed propter lucrum salutare fidelium. A principio, quando mundus factus est et homo primus creatus est, et a paradiso Eden exiit et in vallem humilem terrae dolorum et laboris et passionis expulsus est, * ex ipsa humanitatis massa loquor [2] Abraham fidelem inventum esse et Dei promissionem consecutum, qui ei dixerit: 'In semine tuo omnes populi benedicentur' [3], ut in libro Urāithā [4] scriptum est: 'Quando dividebat Altissimus populos qui in filiis Adam disseminati erant, statuit terminum populis numerum angelorum Dei; et facta est portio Domini populus eius, filii Iacobi, funis hereditatis Israel' [5] ». Et adiecit Šilun, et dixit: « Ita dicta sunt ». Et Silvester dicit: « Quare Abraham electus est quia fidem accepit, et per promissionem generavit Isaac, et Isaac Iacobum; et hi tres qui crediderunt Deo absque culpa placuerunt, et Dominus omnitenens eis promisit se nomen suum in eis nominaturum et in semine eorum, eo quod dicit: 'Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacobi. Hoc est nomen meum in saeculum, et haec est memoria mea in generationes' [6]. Et acciderunt causae quae plures longioresque sunt *quam* ut cunctas narremus. Verumtamen filii Abraham in terram Aegypti descenderunt, et Pharaonis sub dicione facti sunt. Et Deus foedus suum cum eis *factum* recordatus est, eosque ex Aegypto manu forti et brachio excelso eduxit, et pedibus suis *per* medium Mare Rubrum transierunt; et Pharao et exercitus eius ante oculos eorum in aquis marinis mersi ac suffocati sunt. Et Moses eis νόμον dedit ut tauros et vitulos et agnos et capros et turtures et pullos columbarum sacrificarent, quibus antea etiam, impulsu mali, homines passim idolis sacrificare solebant. Ideoque necesse erat a Virgine sancte nasci Christum, qui Agnus immaculatus vocatus est, qui futurum erat ut pro *salute universi hominum mundi sacrificaretur. Hic ergo a Virgine natus est, ut nos ab utero ecclesiae renasceremur; et tentatus est ut nos redimeremur; et vinctus est ipse ut nos a vinculis peccati maledictionis solveret; et

* p. 86.

* p. 87.

[1] Dan., ix, 25, 26. — [2] Sic syr. — [3] *Gen.*, xxii, 18. — [4] Gr. πεντατεύχῳ; cf. p. 8, l. 10. — [5] *Deut.*, xxxii, 8, 9. — [6] *Ex.*, iii, 15.

illusus est ut nos ab illusione daemonum liberaret; et venditus est ut nos emeret; et sese humiliavit ut nos extolleret; et ab hominibus comprensus est, ut nos a captivitate liberaret; et nudatus est ut nuditatem Adam, qua mors intravit, tegeret; et spinarum coronam ei imposuerunt, ut spinas ac tribulos maledictionis, quam ob transgressionem mandati ab Adam *factam* terra accepit, eradicaret; et fel comedit et acetum bibit, ut nos in terram lacte ac melle fluentem introduceret; et tandem in Golgotha crucifixus est, et sacrificatus est, ut peccata mundi universi deleret atque amoveret. Et his *rebus* cunctae mali artes irritae factae sunt. Vitulum enim pro vitulo, et arietem pro ariete machinatus est et invenit adversarius, sed agnum immaculatum non invenit. Et mortuus est ut mortis dicionem dissolveret; et sepultus est ut sepulcris iustorum benediceret et mortuos resuscitaret eo quod a mortuis surrexit; et in caelos adscendit, ut non solum paradisum quem homo amisit ei restitueret, sed etiam caeli fastigium atque habitationem. Sedit igitur a dextra Patris, ut, dum fidelium petitiones accipit, veniret mortuos vivosque iudicaturus, et unicuique secundum facta eius redderet. Haec est fides ac proclamatio nostra. In his *rebus* quae tibi cum veritate non congruere videntur et a me dicta sunt rursus roga [1], o Iudaee ». Et Šilun dixit: « Confiteor vero te quidem in sermone tuo perfecte omnia a * primo ad ultimum consequenter narrasse et mihi satisfecisse; et nobis aequum ac iustum *est* ut in Christum valde credamus; sed nihil novum facit perversitas nostra, quae omnia semper contra nos facit et machinatur ». Tunc Zambri ei indignatus est, et saepe ei in vultum inspuit; et dixit: « Si rationibus humanis et exemplis utitur Silvester et vincit, en! iam nos patrum nostrorum νόμον relinquere debemus, et virum magum sequi, qui consensu patrum nostrorum comprensus ac iudicatus est. Sed audi me, domine rex, et taurum robustum gregalem huc venire iube, ut potentiam magnam Dei et nominis eius coram te hodie in eo ostendam. Verborum enim disputationem facere nolo; sed factis vincere paratus sum ». Et taurum quaerere inceperunt. Et dixit Irenaeus unus e συγκλήτου: « Taurum habeo in grege ab urbe haud multum distante, qui robustus *est* et validus, quemque centum viri vix hic adducent ». Et tunc Silvester regem et primores orare incepit ut taurus veniret;

* p. 88.

[1] Sic syr.

et eum comprehendi et venire iussit. Et, dum venit, Silvester et Zambri disputationem inter se fecerunt : « Quare tauro tibi opus est ? » Et dixit Zambri, qui theurgus erat : « Quoniam nomen Dei nostri nulla natura sustinere potest ; et patres nostri quondam, cum tauros robustos sacrificarent, nomen eius in aures eorum susurrabant, et cadebant, et ad sacrificium occidebantur ; quia nihil quod vivit id audire et vivere valet ».

Et dixit Silvester : « Et tu quomodo absque auditu hoc nomen didicisti ? »[1] Et Zambri dixit : « Non charta[2] nec membrana, nec lignum et lapides id in se delineari ferunt, sed statim corrumpuntur ac dissolvuntur ». Et * rex Zambri mansuete blanditus dicit : « Et tu quomodo id didicisti ? » Et dixit Zambri : « Septem dies ieiunavi, et solus fui ; et tunc aquam currentem (?) in λεκάνην novam argenteam infudi, et benedixi ; et digitum vidi super ea hoc nomen scribentem ac delineantem, a mane ad vesperam ; et memoria ac mente mea id didici. Et cur ⌜verbis incitatis⌝[3] opus est ».

Et, cum haec dicerentur, taurus per viros robustos et funes cornibus eius et collo iniectos in ipsam aulam regiam adductus est. Et, cum vidisset eum Zambri, superbe se gerebat et gloriose loquebatur et Silvestrum sugillabat ; et dicit : « Nunc videantur substantiae verborum tuorum vehementium, et argumentum orationis tuae politae, et factis ea coram rege et primoribus cognoscamus, cum nomen Dei tui in aurem tauri dices et cadet ; et tunc credemus in eum nos et rex et milites eius. Sin autem, dico et fit ; et vincere et crede tu et rex et qui adsunt ». Et, ut *ita* dicamus, eis *rebus* quae a Zambri *dictae sunt* multi e nostrae partis ac fidei adseclis turbati sunt.

Silvester vero animose stabat ; et alacriter dicit : « Etiam ἀγῶνες magni daemonum Deo adiuvante superantur ». Verumtamen fidei initio tentationes et certamina haud pauca fidelibus fiunt, ut experimento probentur. Cuncti autem qui aderant consenserunt ut Zambri nomen Dei sui in aurem tauri diceret ut promisit. Et adpropinquavit et susurravit ; et taurus mugivit et tremuit ; et mortuus est, et oculi eius exsilierunt. Et tunc Iudaei adpropin-

[1] Gr. add. post alia : λέγει αὐτῷ ὁ βασ.. Ἀναγινώσκων οὖν ἔμαθες τὸ μυστήριον τοῦτο τοῦ ὀνόματος ; quod contextus requirit. — [2] χάρτης. — [3] Gr. μακροὺς ἀνειλίττειν λαβυρίνθων λόγους (sic). Legendum fortasse [illegible] (crebris), ut coni. Smith ; sed vide p. 2, l. 19 (textum, p. 4, l. 6) et in tomo altero textus, p. 36, l. 23 ; p. 49, l. 5 ; p. 100, l. 26.

quaverunt, et cum Silvestro fortiter rixabantur, eumque sugillabant * et probris lacessebant. Et fidelium coetus divisus est, et alius alium adiuvabat, ob ea quae acciderant ; et fuit clamor ac tumultus circa duas horas. Et interea Silvester genibus nixus precatur, et Deum Christum implorat, et opem rogat ; et tandem surrexit, et regem oravit ut δῆμον admoneret, ut a clamoris confusione sileret. Et, cum siluissent, in locum excelsum adscendit, et clamavit, et dixit : « Audite, principes ac primores, et popule qui hic ades. Ego Dominum nostrum Iesum Christum proclamo, qui caecis dedit ut viderent, et surdis ut audirent, et mutis ut loquerentur, et claudis et tabidis ut ambularent, et leprosis ut mundarentur, et paralyticis ut starent, et mortuis ut viverent ; et *hoc* nimirum ut vobis notum fieret hoc nomen quod occiderit et occidat mali esse, non Dei ; et, si Dei fuisset, taurum non occideret, sed vivificaret ; et hic omnium qui vivunt adversarius est ut eos interficiat, eosque vivificare non valet, quia vitam in hypostasi sua non habet ». Et Zambri tunicam suam discidit, et regi dixit : « Domine, non verbis ego Silvestrum vici, nec socii mei qui ante me cum eo disputaverunt, sed factis ; et maiestatem tuam ei negandi παῤῥησίαν non dare aequum est ; quoniam omne alienum et novum statim loquitur, et contra nos *verba* effundit, nec silet, dum imperio tuo molestus fit ».

Et dixit Silvester : « Audi Scripturas tuas, Iudaee, quae dicunt : ‘Videte et scite me Deum esse ; et praeter me non est alius. Et ego interficiam, et ego vivificabo ; ego feriam et ego sanabo’[1]. Ideoque interdum interficit, et interdum vivificat. Dic ergo nomen eius in * alteram tauri aurem susurrans, et vivat ; et tunc omnes credimus ». Et dixit Zambri : « Nonne dixi, domine rex, verbis neminem Silvestrum vincere ? Iube eum non verbis sed et factis ipsum quoque aliquid novum miraculi in nomine Dei sui nobis ostendere ». Et Silvester dixit : « Visne, o Zambri, me ipsum in nomine Domini nostri Iesu Christi vocare, et taurum suscitare eumque vivere ? » Et dixit Zambri : « Hoc facere non vales, nec si pennis ut aquila volare possis ». Et dixit rex : « Miror perversitatem tuam, quae superius dixit : ‘Relinquantur verba et appareant facta’ ; et hic nunc promittit se factis effecturum id quod tu fieri non posse dixisti. Ergo aequum iustumque est hunc nos et te Deum

[1] *Deut.*, XXXII, 39.

verum confiteri, qui mortuos suscitare ac vivificare valet; adversarium vero consequenter existimemus qui occidit et vivificare non potest ». Et Zambri se ipsum *condemnare* incepit, dum per regis diadema ac victoriam iurat : « Si poterit Silvester hoc facere ut Christi nomine taurum vivificet *et suscitet*, omnes statim νόμου consuetudines relinquemus, et eum Deum esse credemus, et christiani fiemus ». Tunc Silvester manus ad caelum sublevavit tempus haud exiguum, et genibus porro nixus cum fletu Dominum nostrum obsecrat. Et *surrexit* et ad caelum spectavit, et dixit : « Ego voce alta in nomine Iesu Christi voco, ut hic populus, qui hic adest *et audit*, taurum hunc nomine mali mortuum esse, nunc vero invocatione nominis sancti Domini nostri Iesu Christi *vivere sciat. Fac ergo, Domine noster, servum tuum audias ; postulat enim (et *hoc* tempore *opportuno*) magnam nominis tui laudati potentiam omnibus fidelibus ostendere ; et gratiam tuam obsecro atque imploro ut dextra tua, quae omnia facere valet, hic taurus surgat ». Et, cum haec dixisset, tauro adpropinquavit, et vocavit : « In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui diebus Pontii Pilati crucifixus est, surge et mansuete adsta ». Et in tauro anima eius commota est, et per totum corpus quassus est, et tranquille surrexit. Et adpropinquavit, et cunctos nodos ac ligamina funium qui in eo *erant* solvit. Et dixit ei : « I ad gregem tuum mansuete, neve quenquam laeseris, nec te etiam laedet vel occidet quisquam, sed die quem Dominus noster vult morte tua morieris ». Et, cum haec dixisset, spatium ei fecit, eumque dimisit ; et taurus ordine libertatis placidae discessit. Tunc omnes Iudaei ante pedes eius provoluti ab eo petebant ut pro eis precaretur, ne quid eis accideret quod ob malitiam suam mererent. Et ipsa regina Helena mandavit ; et vela remota sunt, et coram cuncto δήμῳ exiit ; et prensatis Silvestri genibus, ut tempus ei ad paenitentiam daretur, eum orabat. Et quoniam quae fecit plura sunt *quam* ut narremus ea praetermittimus, quoniam in memoria alia *historiae* ecclesiasticae [1] scripta sunt. Verumtamen ea ipsa hora multi in nomine Christi Domini nostri a daemonibus mundati sunt, clamantibus ac dicentibus : « Vicit Silvester ». Et, quoniam principio ādhār haec facta sunt, azymis multi ibi Romae baptismo adpropinquaverunt, et ex illo tempore, * Dei auxilio, exhortatione regis chris-

[1] ἐκκλησιαστική.

tianitas in urbe Roma crescebat in nomine Domini nostri Iesu Christi, cui et Patri eius et Spiritui sancto gloria et honor et adoratio et celsitudo in saecula saeculorum Amen !

HISTORIA SANCTI SILVESTRI FINITA EST.

ITEM CAPUT VIII, REVELATIO RELIQUIARII STEPHANI, PRINCIPIS MARTYRUM IN CHRISTO, ET NICODEMI, ET GAMALIEL, ET ḤABHIBH FILII EIUS, DIEBUS THEODOSII REGIS, EX EPISTULA LUCIANI PRESBYTERI KĔPHAR GAMLĀ [1].

Deus misericors gratia sua voluit cornu fidei in Domino nostro Iesu Christo rursus magis extollere, et rursus proclamationem nuntii qui in evangelio *est* confirmare. Voluit vero ultimis diebus per meam ipsius exiguitatem de servis suis sanctis revelare, dico de illustri ac beatissimo et martyrum principe Stephano, qui est princeps diaconorum sociorum suorum, et dignus fuit qui regnum caeli evidenter videret, et Nicodemum [2] cuius memoria in evangelio bona est, itemque de Gamaliel cuius in Actibus [3] est mentio, [qui] [4] disciplina νόμου Dei illustris fuit, et Ḥabhibh filium [2] eius, cuius in Scripturis non est mentio, qui autem extra Scripturas cum sanctis numeratur, ut etiam visio quae exiguitati meae revelata est me certiorem fecit ; ut, cum *audietis et credetis, precibus vestris acceptis mihi adiutores sitis, et Deum laudetis, qui visiones revelat hominibus peccatoribus, 'quorum primus sum ego' [5]. Initium vero visionis ita est. Cum ego in loco sancto qui baptismo separatur, ubi armarium gazarum depositum est, dormirem, die qui praeparationem antecedit, hora 3ª noctis, mihi revelatum est. Haec autem facta sunt mense kānūn priore, 3º *die* eius, indictione 14ª, ὑπατείᾳ dominorum nostrum regum victorum, Honorii x, et Theodosii *etiam* vi [6]. Dum ego adhuc vigilo et in lecto meo oro, vidi, et en ! senex quidam, qui

[1] Huius ep. textus gr. a Papadopoulos-Kerameus ('Ανάλ. Ἱεροσ. σταχυολογίας, V, 30) editus est, et duo textus latini in *P. Lat.*, XLI, 807 seqq., et ap. MOMBRITIUM, *Sanctuarium*, II, 271, 481 (correctiones a Nau, *Rev. de l'Or. Chrét.*, XII, 441). Fragm. vers. syro-palaestinensis a Schulthess (*Abh. d. Ges. d. Wiss. zu Göttingen*, phil. hist. Kl., Neue Folge, VIII, 102) editum est. Alius textus versionis qua noster usus est ap. BEDJAN, *Acta Mart. et Sanct.*, III, 188, reperitur. — [2] *Sic syr.* — [3] πράξεις. — [4] In ms. excidit. — [5] I *Tim.*, I, 15. — [6] 3 dec. 415, qui erat dies Veneris.

statura laudabilis erat, et stola[1] alba amictus erat cuius stolae fibulae[2] (?) aureae *erant*, et in cuius calceo *erant* vincula aurea, qui dextra etiam baculum aureum tenebat. Venit autem et prope me stetit, meque excitavit; et ter me nomine vocavit, et dixit mihi: « Luciane, Luciane, Luciane », et ego dixi: « Quis es, domine? » Is autem dixit mihi: « Surge, Hierosolyma statim adscende; et episcopo sancto eius urbis dic, 'Quamdiu inclusi sumus neque aperis nobis, et certamina nostra ac triumphos quae pro Christi fide *gessimus* proclamas? Et tempore sacerdotii tui praesertim revelari debemus. Tu igitur statim aperi nobis ut per te[3] Deus ostium misericordiae toti mundo aperiat. En! enim mundus perire compellitur propter peccata multa quae in eo cottidie perpetrantur, nec nos includi oportet. Nec tantum sollicitus sum[4] quantum pro eis qui mecum depositi sunt, qui * multo honore ac gloria digni sunt, magis curam ago. Et locus in quo sumus despectus est; et tempore pluviae ossa nostra aqua madent, et tempore aestus calore solis uruntur; et ossa nostra plane defecerunt, quae a praetereuntibus conculcantur et ab indignis contumeliam patiuntur' ».

Respondi autem ego, vilis Lucianus, et dixi ei: « Quis enim es tu, domine? Et qui sunt ei qui tecum *sunt?* Et in quo loco vos invenire possumus? » Is autem dixit mihi: « Ego sum Gamaliel, is qui Paulum nutrivit, et νόμον Hierosolymis docuit. Qui vero iuxta me nunc depositus est Stephanus est sanctus qui a Iudaeis crucifixoribus lapidatus est, et diem et noctem extra urbem in via Cedar abiectus remansit, secundum mandatum summorum sacerdotum impiorum, ut bestiis agri et avibus caeli cibus esset. Ego vero Gamaliel, quoniam viri claritudinem sciebam, et sperabam mihi quoque partem fore in resurrectione eius, noctu surrexi, et arcessivi eos qui in Christi fide erant, eosque rogavi eisque supplicavi ut saltem corpus sancti ferrent, et ad meum vicum, qui nomine meo Kĕp̱har Gamlā[5] vocatur, et ab urbe viginti milia passuum et dimidium distabat, portarent, et sic super ossa eius secundum morem quadraginta dierum solennia facerent; et expensae quae

* p. 95.

[1] στολή. — [2] κλεῖδα; gr. γαμμάτια (vide DUCANGE, s. v. γάμμα); lat. A 'gemmulae', B 'cruces intextae'. — [3] Gr. ἡμῶν; lat. A 'nos', B 'nostram orationem'. — [4] Gr. add. δι'ἐμέ, quod sensus requirere videtur. Ita lat. et fragm. syro-pal., quod hic incipit. — [5] Sc. 'vicus cameli'.

de sepultura eius futurae essent mandavi ut de meo fierent; et sic in meo sepulcro depositus est, quod etiam nondum perfectum erat. Secundus vero qui in sepulcro depositus est Nicodemus cognatus meus *est* * qui ad Salvatorem nostrum noctu venit et catechizatus est, ita ut aqua et Spiritu renatus sit, et profectus est, et a Simone et Iohanne Domini nostri discipulis baptismum accepit. Et, cum summi sacerdotes et pharisaei audissent, ei valde irati sunt; et consilium inierunt eum occidere, sicut Stephanum sanctum occiderunt, propter meum vero ipsius honorem hoc non fecerunt; sed eum anathematizaverunt, et omnem eius substantiam templi nomine iniuria diripuerunt, eumque ex urbe eiecerunt, et plagis duris morti proximum reliquerunt. Ego vero Gamaliel et hunc quoque secreto tuli, et ad meum vicum eum adduxi; ubi tu, Luciane, gradu presbyterii fungeris, dato mandato ut alimentum eius ac vestitus de meo fieret, donec is etiam post paululum obdormivit, et in Dei confessione perfectus est; et hunc etiam iuxta Stephanum sanctum deponendum curavi. Et tertius qui prope me depositus est Ḥabhibh est filius meus minor, qui mihi dilectissimus erat, qui annos xx natus in νόμῳ doctior erat quam ego, et Scripturas divinas memoria reddebat; qui mecum Christi proclamationi credidit, et uno die sancto baptismo illuminati sumus, quem ab apostolis accepimus. Et, cum audiisset uxor mea Elemnā et filius meus maior, valde nobis irati sunt, et a societate nostra lite *facta* recesserunt; et ad vicum matris suae profectus est, qui vocatur Kĕp̱har Šeqyā[1]. Et, postquam e mundo exierunt, ibi sepulti sunt; quoniam haud digni fuerunt qui nobiscum in hoc ipso sepulcro deponerentur; quoniam Dei voluntas fuit ». Et post haec ego Lucianus * a somno meo surrexi, et Deo gratias egi; et nocte reliqua eum oravi, et dixi: « Domine Deus saeculorum, si a misericordia tua haec visio mihi missa est, manda ut iterum et tertio mihi reveletur ». Et ieiunare incepi velut diebus statutis ac sanctis.[2] Et proxima praeparatione eadem hora noctis qua mihi apparuit, et eodem vestitu vir idem ad me venit, et dixit mihi: « Luciane, quare contempsisti neque Hierosolyma adscendisti, ad Iohannem episcopum eius urbis, eique omnia quae tibi dixi narrasti? » Ego autem respondi, et dixi ei: « Ignosce mihi, domine; quoniam ob

* p. 96.
* p. 97.

[1] Sc. 'vicus irrigationis'. — [2] Hic expl. fragm. syro-pal.

unam visionem Dei sacerdotem excitare, et populum porro tantum turbare non poteram. Audivi enim Scripturam divinam dicentem: ‘ In ore duorum et trium testium stabit omne verbum ’ [1]. Sed hoc Dominum nostrum rogavi, ut, si ab eo haec visio ad me missa est, mihi iterum et tertio repeteretur. Idcirco, domine, adventu tuo iterato me laetificasti; si vero tertio repetes, melius facies ». Is autem manu innuit, et voce dixit: « Tertio repetivimus, tertio repetivimus » [2]. Et, cum profectus esset ut per ostium exiret, rursus reversus est et dixit mihi : « Presbyter, aliquid aliud tibi dicere habeo». Et ego dixi: «Loquere, domine». Et is dixit mihi: «Quoniam in mente tua dubitas, et dixisti: ‘ Si eos quaeram inveniam*ne* eos, sed quattuor eorum in uno loco depositos ? Et quomodo ossa Stephani sancti ab *ossibus* ceterorum discernere valebo ? ’, non ita sumus ut tu putas, sed unusquisque nostri propriam habet thecam ». Et ego rursus dixi : « Quomodo, domine ? » Et is dixit *p. 98. mihi : « Animadverte * et tibi ostendam ». Et manum suam ad caelum porrexit; et tres calathos aureos mihi ostendit, et unum argenteum; et calathorum aureorum duo rosis albis pleni erant, et tertius aureus rosis rubris plenus erat; et calathus quartus argenteus croco suaveolente plenus erat, et calathorum aureorum uni contiguus erat, et ut gemini videbantur, et reliquis altiores erant. Calathum vero aureum qui rosis rubris plenus erat a dextra ad orientem constituit, et qui rosis albis ad septentriones ; et ceteros duo porro geminos mihi ostendit supra septentrionalem pendentes, et ab eo circa tres cubitos distantes.

Et dixit mihi : « Vides*ne* hos calathos ? », et respondi, et dixi : « Video, domine ». Et is dixit mihi : « Hi calathi de ossibus nostris indicant, et de loco nostro. Et qui rosis rubris plenus est ipse est *calathus* domini Stephani sancti ; quoniam ipse solus e nobis martyr fuit. Et qui contra πρόσωπον tuum domini Nicodemi est; qui fuit in Christo confessor. Et duo qui in uno loco pendent sumus ego et filius meus ». Ego autem rursus ausus sum, et dixi ei : « Quare, mi domine, calathus unus argenteus croco plenus est ? Et quare alter rosis plenus est ? » Et dixit mihi : « Calathus argenteus filii mei est ; quoniam corpore purus erat, et anima nitidus, ut argentum purum ; et in templo Dei educatus est, et mulierem

[1] II *Cor.*, XIII, 1. — [2] Aliter verti non potest ; gr. συγγνώμην ; lat. A ‘ acquiesce mihi ’, B ‘ ignosco ’.

nunquam vidit, nisi matrem suam ; et hac de causa croco plenus est cuius odor suavis ». * Et, post haec, rursus surrexi, et Deo *p. 99. gratias egi, qui ipse solus sapiens est ; et rursus in ieiunio adsiduus fui dum completionem visionis tertiae exspecto. Et praeparatione proxima, noctu eadem hora, vir idem Gamaliel admirabilis coram me stetit, dum mihi minatur atque irascitur : « Quare igitur neglexisti nec profectus es *et* episcopum certiorem fecisti ? Crede vero, nisi ibis eique dices, habere te id quod non vis tolerare ». Ego autem respondi, et dixi ei : « Mi domine, iam tibi dixi me Dominum nostrum rogasse ut ter me adventu revelationis tuae dignum haberet. Nunc vero, quod me confirmasti, revelationem vestram proclamare iam non morabor ». Et, eo stante ac mihi minante, vidi quasi in urbem raptus sim, et Dei timenti episcopo omnia narraverim. Et in ipsa visione dixit mihi episcopus : « Si ita vidisti, dilecte noster, et ita quoque tibi revelatum est, oportet me magnum bovem plaustrarium inde sumere in cultum ac laborem ». Is vero dixit mihi : « Ita est. Quoniam urbi plaustro ministratur, et plaustro magno unus bos deficit, et nomen eius Stephanus, qui apud te est, oportet igitur urbem eum sumere ; et tibi duo reliqui boves et vitulus in cultum sufficiunt ; et quod necessarium est in vico tuo praebebimus ». Et, cum episcopus haec dixisset, vidi rursus in visione ipsum Gamaliel qui venerit, et me manibus meis prehenderit et in vicum meum adduxerit, et mihi diceret, « Si nos invenire vis, quaere nos in loco qui vocatur *locus* Beith-*Gabhrāye [1], quod *p. 100. interpretatur ‘ N’QL ’ [2] gigantum ’ ». Et, cum visio tertiae vicis mihi apparuisset, e somno meo experrectus sum, et de loco percontatus sum, et rogavi [3] quis esset, cum nemini visionem revelassem. Et profectus sum solus et inquisivi et vidi, et en ! locus magnus et latus, et dives, et in medio eius erat tumulus quidam, in quo me eos inventurum putabam.

Et, post haec, ad urbem adscendi, et a presbyteris rogavi [3] quomodo agere deberem. Ei vero mihi dixerunt : « Vides terrae motus et pluviae defectum continuo fieri ; et vis*ne* *rem* de visione quae tibi revelata est celare ? Ne igitur dicere tardaveris ; quod

[1] Ms. ‘ ‘Ebhrāye (Hebraeorum) ’ ; gr. Δελεγαβρία. — [2] Bedj. « N’Q’L’ » ; lat. ‘ possessio ’ (vide not. ad text.) ; gr. Δαματαλία. — [3] ܫܐܠ saepius significat ‘ rogavit ’, quam significationem lexica ignorant ; vide *P. Or.*, XVII, p. 39, n. 2.

ita misericordia toti creationi fiet ». Et tunc me duxerunt, et episcopo de me dixerunt. Is vero me vocavit, et ⌜dixit mihi an[1] haec ita essent. Ego autem visionem primam ei narravi, et secundam et dimidium tertiae, dum historiam bovis reservo et me aliquid ab eo auditurum exspecto. Is vero respondit, et dixit: « Benedictus es, Domine Deus noster. Si ita vidisti, dilecte noster, et nostris diebus Deo de sanctis suis revelare placuit, oportet me Stephanum sanctum inde sumere, qui princeps est Christi diaconorum, athleta[2] iustitiae, qui dignus fuit qui regnum caeli aperte videret ». Et sic ego ei de fine visionis narravi, postquam id quod futurum erat ut fieret ab eo didici, et, ut antea apparuit, ita etiam vidi, auditu ⌜quattuor *hominum* (?)[3]. Et * mihi descendere permisit[4] et in loco illo fodere, et simul atque invenissem locum illum observare, et deinde ad eum per *hominem* quendam fidum nuntium litteris mittere. Itaque, postquam mandatum accepi, ad vicum profectus sum, et praecones adscendere feci, ut omnes viri mane ad locum fodiendum convenirent. Eadem vero nocte dominus Gamaliel mihi apparuit et dixit mihi: « Presbyter, noli te fatigare et in tumulo illo fodere; quoniam non ibi sumus; tumulus enim in testimonium luctus positus est. Sed a septentrionibus vici, iuxta viam, nos quaere; et a tumulo cubitos quadringentos septuaginta quinque metire ». Necnon et monacho etiam alii simplici apparuit cui nomen Meltesi (?)[5]. Apparuit vero ei eadem nocte dominus Gamaliel; et dixit ei: « Vade, dic presbytero Luciano: 'Noli te frustra in ipso tumulo fatigare; quoniam non sumus ibi; sed vade ad septentriones vici' », et ostendit ei locum quem exiguitati meae etiam ostendit. Et ostendit nobis in eo duo lectos aureos humiles et unum altum; et *lectus* altus duo viros continebat, unum senem et unum adulescentem. Strati vero erant ita. *Lectus* altus omnibus vestibus lucidis stratus erat, quasi ⌜adfines (?) baptismi[6] in eo iacerent; et alter vestibus lucidis regalibus ornabatur. Mature vero surreximus, et ad tumulum ire volebamus; et monachus ille nos prohibuit eo quod dixit nobis: « Sic et sic mihi revelatum est ut tibi hodie dicam ». Ego autem,

[1] Sic textus. BEDJ. 'me rogavit an'. — [2] ἀθλητής. — [3] Vel 'quarto'. Textus corruptus esse videtur. Nihil simile in gr. aut lat. stat. BEDJ. 'visione quarta'. — [4] Syrus vocem ἐπέτρεψεν (commisit) male intellexisse videtur. — [5] Gr. Μεγέθιος. — [6] Gr. νεοφωτίστων,

cum audissem, ⌜visionem revera ab eo esse[1] cognovi. Et, quamvis *res* ita *se haberet*, ad ipsum tumulum profecti sumus, et in eo fodimus usque ad horam tertiam; et * columnam saxeam ibi invenimus, et in ea inscriptionem hebraicam inscriptam. Et virum adduximus qui linguam hebraicam legere sciebat; et dixit nobis: « Ita hic scriptum est, 'Hic est ager luctus iustorum' ». Et sic tumulum reliquimus et ad locum illum profecti sumus ubi eadem nocte nobis apparuit[2]; et fodimus, et omnia clare invenimus, ut nobis ostendit. Inscriptionem etiam ibi invenimus ita inscriptam: Keliel[3] Našoam[4] Gamaliel Ḥabhibh; quod interpretatur Keliel a lingua syriaca Stephanus, et Našoam Nicodemus.

Eadem vero nocte fuit terraemotus magnus, ita ut ossa domini Stephani saltaverint ac salierint; et odor suavissimus de theca eius exibat, ita ut nos omnes ad somnum attraheret, et usque ad decem milia passuum circa odor pervenerit. Sanatio autem et curationes factae sunt illo die eis qui ibi adfuerunt. Et, cum ego ad episcopum nuntium misissem, apud ossa sanctorum remansi. Is autem, cum advenisset, in Domino nostro gavisus est; et mandavit ut sanctum et illustrem dominum Stephanum Hierosolyma portarent, eumque in Sion deponerent; et se martyrium ubi inventus est, aliudque in urbe, ubi ossa sancti et Dei amici requiescunt, aedificaturum promisit. Quamobrem vos rogo, omnes qui auditis, me in precibus vestris sanctis atque acceptis ad Deum recordamini, dum praeterea secundum vires vestras partem etiam habetis et fratres adiuvatis, qui de martyrio sancti laborant, in honorem ac gloriam Domini nostri, et requiem ossium sanctorum ac verorum martyris primi * et illustris Mār Stephani et comitum eius; qui congregati sunt in martyrio Kĕphar Gamlā partem habituri, ut fruges bonas habeant in Christo Iesu Domino nostro; cui gloria et honor in saecula saeculorum.

CAPUT VIII FINITUM EST.

ITEM CAPUT IX DE DOCTORIBUS SYRIS INDICAT, ISAAC ET DĀḎHĀ, QUI DIEBUS ARCADII ET THEODOSII REGUM FIDELIUM FUERUNT.

Isaac doctor terrae Syrorum apparuit, qui erat de coenobio

[1] Gr. ὡς ἀληθὴς αὐτοῦ ἐστὶν ἡ ὅρασις. — [2] Sic etiam gr. — [3] Sc. 'kelil (corona)'. Nomina gr. litt. scr. esse videntur et in litt. syr. reversa. — [4] Sc. 'nāṣeḥ 'am (victor populi)'; lat. A 'Nardam', B 'Nasoom' (v. l. 'Nasuam').

quodam quod *est* monasterium Occidentalium. Et hic studio suo et Romam adscendit, et ad alias urbes perveniebat. Et sunt ei libri lucro omnimodo pleni de sanctis Scripturis, post Ephraim et discipulos eius.

Et Dādhā item monachus erat probatus, de Sāmqe vico 5 dicionis Amidae; et, propter captivitatem ac famem quae eius diebus in regione facta est, a populi principibus ad regem missus est, et magnifice receptus est. Et huic etiam, quod [1] vidimus (?), sunt volumina trecenta plus minus de omnibus rebus *quae* a divinis Scripturis *extrahuntur*, et de sanctis, et mādhrāše [2]. 10

Caput IX quod de doctoribus Syris Isaac et Dādhā indicat finitum est.

PRINCIPIUM INITII LIBRI II.

Post *Historiam* Ecclesiasticam [3] Eusebii Caesariensis, et Socrates et Theodoretus in operibus quae deinceps fecerunt, usque ad annum 32um regni Theodosii minoris, gesta ac res quae passim 15 acciderunt, quae discere studuerunt e codicibus et epistulis * et ὑπομνημάτων, et sermone vivo quae perscrutati sunt, scripserunt, in commonitionem et lucrum prudentium, prout potuerunt. Ideoque exiguitas mea etiam in exercitationem fraternitatis, et commodum eorum qui doctrinam amant, et fidelium confirma- 20 tionem, et Domino ac Deo nostro Christo volente et adiuvante et verbum potestatis dante, consilio tuo, magister studiose, frater noster, et si ut cum eloquentia veritatem sine perturbatione ac reprehensione scribam precaberis, prout rogasti scribere incipiam. Dum enim quam maxime astricte, ne opus producatur 25 et lector lassus fiat, et auditor taedio adficiatur, ea quae ex ὑπομνημάτων et πεπραγμένων, vel ex epistulis scire potui refero, veritatem quae explorata est, dum huius libri II scribendi initium facio veritatem resurrectionis corporum diebus Theodosii regis septem adulescentium qui in spelunca *erant* in regione Ephesi, 30 ipsa etiam ὑπομνήματα quae syriace inventa sunt hic litteris mando, et in sanctorum memoriam et in Dei gloriam, qui omnia facere potest, et deinde capitulorum modo rapide, ne narratio earum *rerum* quae in πεπραγμένοις passim inventis semel separatim

* p. 104.

[1] Vel 'quem' (de antiquiore auctore repetitum ?). — [2] Commentaria metrica. — [3] ἐκκλησιαστική.

scripta sunt longa sit, ea quae decem reliquis annis vitae Theodosii acciderunt in hoc libro ut ita dicam scribam, Constantinopoli de Eutyche archimandrita, et Flaviano summo sacerdote, et synodo XXXI episcoporum, et XXII archimandritarum qui καθαίρεσιν ipsius 5 Eutychis fecerunt, qui congregati sunt; itemque de synodo secunda *Ephesi *habita*, quae de Flaviano facta est diebus Dioscori et Iuvenalis [1] et Domni, et CXXVIII episcoporum cum eis; et deinde librum III incipiam.

* p. 105.

Caput I quod de resurrectione a mortuis indicat septem pue- 10 rorum qui in monte Ānklās *erant* in regione Ephesi *sito*, qui diebus Decii regis impii in eo inclusi sunt, et post annos CXC diebus Theodosii regis filii Arcadii fidelis in signum mirabile et confirmationem resurrectionis a mortuis corporum hominum resuscitati sunt.

15 Caput II καθαίρεσιν exponit Eutychis archimandritae phantasiastae [2] qui erat in urbe regia; quae a Flaviano summo sacerdote urbis, et XXXI episcopis qui cum eo in urbe adfuerunt, et archimandritis XXII, qui eum gradu summoverunt, facta est.

Caput III narratione rapida atque astricta de eis *rebus* docet 20 quae in synodo secunda Ephesi *habita* acciderunt, de Flaviano et Eutyche, qui ambo scripserunt et πεπραγμένα earum *rerum* quae acciderunt et libellos [3] ad summos sacerdotes et ad Leonem qui Romae *erat* miserunt; et responsum scripsit eosque [4] adhortatus est ut ea quae gesta erant coram sacerdotibus probarentur, 25 et vicariis suis quos de his *rebus* cum epistulis misit.

Caput IV ostendit qui fuerint summi sacerdotes post synodum primam Ephesi *habitam*, quae propter Nestorium congregata est diebus Theodosii * regis et Caelestini Romae, necnon Cyrilli Alexandriae, et Iohannis Antiochiae qui postremo advenit, et 30 Iuvenalis Hierosolymorum; quibuscum erant etiam episcopi CXCIII, qui Nestorii καθαίρεσιν fecerunt, et loco eius Maximum instituerunt; et post eum *fuit* Proclus; et, post eum, Flavianus; et deinde Anatolius.

* p. 106.

Caput V [5], epistula Procli viri fidelis ad Armenios, in qua est

[1] Ms. 'Ioviniani'. — [2] φαντασιαστής. — [3] λίβελλοι. — [4] Ms. 'nosque'. — [5] Ms. 'IV finitum est'.

explicatio verax et prudentibus utilis ; quae in hoc capite quinto *bonum* iudicavi ut infra litteris consignetur, in memoriam huius doctoris Procli summi sacerdotis et in exercitium fratrum.

CAPITA QUINQUE FINITA SUNT.

ITEM CAPUT I ὑπομνήματα SEPTEM MARTYRUM QUI RESUSCITATI SUNT DOCET, [QUI][1] IN SPELUNCA MONTIS ĀNKLĀS, IN EPHESO REGIONE *SITI*, INVENTI SUNT[2].

Cum mille anni post Romam conditam completi essent, et ἀγῶνες mille annorum in ea celebrati essent et bestiae multae * in theatro[3] occisae essent diebus Philippi regis et filiorum eius, qui tandem post annos septem regni sui a Decio occisus est qui contra christianos persecutionem grandem fecit, cum Olympiade 257ª regnasset, Carthagine urbe Byzantium Thraces descendit, et Ephesum urbem ; et ecclesiae regionis clausae sunt, et dissipati fideles ; et sacerdotes fratresque timuerunt, et a conspectu eius recesserunt. Cum vero Decius Ephesum intrasset, cor eius sublevatum est, et aras *in* medio oppido aedificare incepit. Et, cum in ipso paganismo vehemens esset, oppidi primoribus mandavit, et populi idolis sacrificabant ; et corpora eorum sanguine victimarum polluebat ; et coetus densi ab omni loco *in* medio oppido Ephesi cottidie congregabantur ; et fumus nidoris victimarum urbem obscurabat ; et vapor thuris incendii nidoris a medio oppido adscendebat, et muros qui eos cingebant celabat. In eadem igitur turba festali tristi, quae ibi in paganismo congregata erat, dolor fuit fidelibus, et capita eorum demissa sunt, dum ob persecutionis timorem vultus suos celant et ingemunt. Et die 3º rex subito mandavit ut christiani comprenderentur ; et Romanos[4] qui regis mandatum exsequebantur pagani

[1] In ms. excidit. — [2] De Actis Septem Dormientium vide n. ad textum. Guidi praeter textum Dionysio adscriptum versiones alias orientales addidit, et unicuique versionem italicam adiunxit. Textus Dionysii dictus a Bedjan (*Acta Mart. et Sanct.*, I, 301) denuo editus est cum variationibus a Wright suppletis. Textus syr. alius e cod. Berol. Sachau 321, f. 179 vº, cum versione germanica ab Allgeier (*Oriens Christ.*, nova ser., VI, 2 (1916)) vulgatus est. Vide etiam bibliographiam. Textus gr. a M. Huber (*Beitrag zum Siebenschläferlegende*, 1904-5) editos nonnisi per excepta ab eodem (*Die Wanderlegende v. d. Siebenschläfern* ; Lipsiae, 1910) et a P. Peeters in *Anal. Boll.*, XLI, 369 (1923) data novi. — [3] θέατρον. — [4] Sc. ' milites '.

Iudaeique comitabantur, et fideles a latebris et recessibus trahendo extrudebant, eosque tractabant, et ad *locum* ubi coetus ad sacrificium cum rege congregati erant adducebant. Qui autem cruciatus ac mortes timebant, a veritate et celsitudine fidei lapsi sunt, et coram omnibus sacrificare adnuerunt ; et, cum fideles de his audirent, propter perditionem animae eorum dolore adficiebantur. Qui autem constanter se gerebant, * et in rupe veritatis quae non quatitur animose pro Christo stabant, ' tela ardentia mali '[1] et cruciatus atque angores in corporibus suis quasi in scutis tolerabant, et corpora eorum perdebantur, et quasi stercus in faciem terrae eiciebantur, et membra carnis eorum secabantur, et in turribus pinnisque murorum suspendebantur, et capita porro columnis ligneis in portis urbis per *totum* circuitum adfigebantur ; aves vero carnivorae omnimodae super oppidum volitabantur, cadavera et corporum viscera portantes ac comedentes ; et moeror magnus super fideles extensus erat, et adflictio acerba menti prudentium infixa erat, et terror ac metus omnes opprimebat. Fuit enim haec luctatio mirabilis, et ἀγῶν qui spectantibus terroris plenus erat, et certamen stupendum quo superi inferique obstupuerunt. Parietes aedificii querebantur propter facinus atrox quod intra eos fiebat ; et tecta porro aedificiorum eiulabant cum ob vocem passionis quae infra se praevalebat se humiliare cogerentur. Plateae urbis ob christianos per eos distractos adflictae erant ; et lacrimae in oculis praevalebant, qui avium agmina super cadaveribus dilectorum suorum videbant ; et muri urbis propter sanctorum corpora quae super eos iacta erant in eo fuerunt ut caderent. Et qui est moeror vel adflictio quae hac vehementior erat, cum fideles alius apud alium confugerent ut ab hominibus immisericordibus servarentur, patres liberos suos eiurarent, et liberi etiam * patres suos non confiterentur, amici autem ab amicis suis discederent, et fides quae in Christo *est* in angustia haberetur, et illustres firmitate agnoscerentur, et fideles experimento constantiae sicut aurum in fornace, inter cruciatus diversos a persecutoribus *inflictos*, in hac tentatione probarentur ? Haec autem sunt nomina puerorum qui effugerunt[2]. Achillides autem et Diomedes

[1] *Eph.*, VI, 16. — [2] Haec clausula, quae sensum interrumpit, de marg. fortasse irrepsit, sed idem in 14641 legitur.

et Eugenius et Stephanus et Probatius et Sabbatius et Cyriacus, septem pueri periti filii primorum urbis, qui fide Filii Dei firmi erant et passionem crucis eius in corporibus suis portabant, cum haec cottidie viderent, ingemebant et passione προσώπων suorum contristabantur et nitor vultuum eorum obscuratus atque immutatus est; et ante portam regis vigilia et ieiunio et oratione utebantur, [quoniam] [1] milites [erant] [1] et palatini, et inter oppidanos principes ac clari. Et tempestate sacrificiorum quae a rege et coetibus celebrabantur illi fideles tempus surripiebant et domum archivorum [2] intrabant, et proni cadebant et capitibus suis pulverem iniciebant et ingemebant cum oratione ad Deum, ut tempus malum praeteriret. Observaverunt autem sodales scholae [3] eorum, et tempestate sacrificiorum, ubi omnes coram idolis apparebant, ingressi invenerunt eos in domo * solos, corporibus in pulvere prostratis, et vultibus ad solum demissis, et ob fletum lacrimarum oculorum luto formato. Et studiose adpropinquaverunt eos*que* coram rege iniquo accusaverunt, et dicunt : « Auguste rex aeterne, pax maiestatis tuae etiam longinquos sacrificio deorum adpropinquare facit ; et en ! propinqui maiestatem tuam spernunt et mandatum tuum contemnunt, et te decipiunt eo quod religionem christianorum furtim celebrant ; et princeps eorum est Achillides e generibus ὑπάρχων, et sex socii eius filii principum clarorum, et milites huius oppidi ». Tum rex infremuit, et misit eos*que* comprehenderunt, et coram eo adduxerunt, lacrimis eorum adhuc in oculis *permanentibus* et crine capitis eorum pulvere consperso. Et dixit eis rex : « Quare inter sacrificia deorum quae eis offerebamus apud nos non commorati estis, nec vos cum principibus populoque oppidanorum vestrorum consociastis ? Sed iam adpropinquate et dis sacrificia perficite ». Tunc Achillides respondit et dixit : « Est Deus occultus cuius caelum et terra plena sunt, cui sacrificia confessionis nostrae secreta et aperta offerimus, et cuius essentiae tus laudis linguarum nostrarum facimus. Ergo tus fumi polluti nos coram idolis non offerimus, et nidore foedo qui coram daemonibus *offertur* spiritus nostros puros et corpora nostra non inquinamus ». Et, cum rex interrogationum serie cum omnibus loqueretur, et confessionem professionis eorum didicisset, man-

[1] In ms. excidit ; e ‘ DION. ’, 14641, et gr. addidi. — [2] ἀρχή. — [3] σχολή.

davit et ζῶναι eorum sectae sunt ; et dixit : « Quoniam regno deorum nostrorum discordes estis, en ! magnificentia militiae maiestatis nostrae alieni eritis, donec * opportunitatem habebo et interrogationibus verborum vestrorum coram me sagaciter probabimini. Opportunitatem vero do vobis ut sapientes fiatis et vivatis ». Et eos a conspectu eius extruserunt, dum [1] collaria ferrea eis iniciunt [2]. Et Decius rex ad alia oppida exiit, dicionem suam visitaturus et ad urbem Ephesum reversurus. Et Achillides eiusque socii opportunitatem habuerunt operis iustitiae perficiendi ; et argentum atque aurum de domo parentum suorum ceperunt, et eleemosynas secreto et aperte fecerunt. Et inter se consuluerunt, et dicunt : « Nosmet a loco habitato oppidi separemus, et ad montem eamus ; ibique coram Deo continuo appareamus cum supplicatione absque perturbatione mundi, ut ubi rex revertetur animose coram eo stemus, et quod Deo placitum est faciamus ». Et hoc consilium septem perfecerunt ; et nummos argenti residuos marsupio iniecerunt ac secum ceperunt, et ad speluncam adscenderunt quae in monte Ānklās *est* ; et ibi dies aliquot fuerunt cum oratione et supplicatione pro salute vitae suae, et ceteris fratribus suis fidelibus. Dionysium vero socium suum, qui adulescens sapiens ac celer erat, sibi curatorem fecerunt. Et, cum vestes suas σχήματι mendici commutasset, argentum suum secum sumebat et ad urbem descendebat, et de eis *rebus* quae in palatio [3] regis fiebant discebat, et ex argento quod apud eum *erat* pauperibus eleemosynas dabat, et panis alimentum emebat, et ad socios suos adscendebat, eosque de *rebus* quae in urbe fiebant certiores fecit. Et dies adfuit, et Decius rex Ephesum iterum advenit, et πολιτομένους [4] sacrificare iussit ; et Achilliden et socios eius, * de quibus sollicitus erat, perquirebat ; et omnibus fidelibus qui in urbe remanserant fuit pavor, et a conspectu eius effugerunt. Et Dionysius etiam, qui tunc adfuit, pavidus factus est et ab urbe effugit ; et aliquantulum alimenti secum sumpsit, et ad socios suos in speluncam rediit, eosque de regis ingressu certiores fecit, et eos iussos esse ac quaesitos esse ut cum πολιτομένοις sacrificarent. Et, cum audiissent, pavidi facti sunt, et precibus enixis, quas Deo faciunt, adsidui erant. Et surrexit Dionysius, et aliquan-

[1] κολλάριον. — [2] Gr. ἐπῆραν τὰ κλοιὰ τὰ σιδηρὰ ἐκ τῶν τραχήλων αὐτῶν. — [3] παλάτιον. — [4] Sic pro πολιτευομένους. Similiter infra.

tulum alimenti quod emerat et attulerat instruxit eisque apposuit; et eis supplicabat ut alimentum sumerent et roborati ad pugnam tyranni accingerentur. Et vultus suos sustulerunt, atque una consederunt cum fletu et passione, et alimentum sumpserunt. Vesperis tempestate, dum inter se colloquuntur et sollicitudine atque aerumna opprimuntur, una sopiti sunt et obdormierunt. Et Deus cura sua et praescientia mortem subito placidam ac lenem mandavit, miraculi causa quod futurum erat ut post tempus revelaretur, in spem resurrectionis a mortuis, et in lucrum fidelium; et una obierunt, et inscientes requieverunt, dum Christum confitentur, et argentum eorum apud eos repositum *manet* et pariter humi iacent. Mane vero diei rex eos requisivit, et in palatio [1] quaesiti sunt, et per totum oppidum, et non inventi. Et dixit rex primoribus suis : « Discessu horum septem adulescentium multum afflictatus sum. Putaverunt enim maiestatem nostram eis iratam esse, propter transgressionis eorum prioris delictum. Et misericordia nostra delictum eorum qui transgrediuntur et ad deos convertuntur non recordatur ». Responderunt
*p. 113. primores, * et regi dixerunt : « Propter adulescentes contumaces, rex, noli contristari ; quoniam adhuc, ut audivimus, audacia qua prius utuntur ; et tempus invenerunt, et argentum atque aurum in plateis urbis distribuerunt, et ipsi delituerunt ; et ex illo tempore nobis non visi sunt. Et, si coram maiestate tua requiruntur, parentes eorum adprehendantur, eique nobis notitiam de eis praebebunt ubi lateant ». Et, cum rex haec audiisset, furore commotus est, et parentes eorum arcessivit eisque dixit : « Ubi sunt hi contumaces filii vestri, qui in maiestatem nostram contumacia usi sunt et mandatum nostrum contempserunt et deos contumelia adfecerunt ? Et, nisi eos adducetis, debetis pro audacia eorum mori ». Responderunt parentes eorum, et regi dicunt : « *Maiestatem* tuam timendam obsecramus, domine. Nos qui mandatum maiestatis tuae non contempsimus, et deorum timorem non reliquimus, quare pro contumacibus mortem incurremus, qui argentum aurumque nostrum praedati sunt ac distribuerunt ? Et en ! ut audivimus, in spelunca montis Ānklās latent, loco qui ab urbe nostra haud modicum distat. Et

[1] παλάτιον.

miratione utimur utrum vivant an mortui sint his diebus quibus nobis non visi sunt ». Tum rex cum intellexisset parentes eorum a conspectu suo dimisit ; et meditabatur quidnam fidelibus faceret. Et consilium iniit quasi a Deo motus esset oris speluncae illius lapidibus obstruendi, in sepulturam corporum sacrorum ac sanctorum ; nec datum est ei corpora quae requieverant movere, quae a Deo praescientia eius conservabantur, ut ceterae humanitati nostrae resurrectionis praedicatores fierent. Et dixit rex : « De illis contumacibus mando ut, propterea quod mandata mea contempserunt et deos contumelia adfecerunt, * gloriae maiestatis *p. 114. nostrae extranei fiant, neve amplius in mundo videantur, sed speluncae os lapidibus integris obstruatur, et vita eorum crucietur, et inter miseriam moriantur in carcere aeterno » ; cum putaret rex et oppidum universum hos pueros in carcere suo vivere. Athenodorus vero et Rabhnos (?) [1] regis eunuchi [2], qui christiani erant, et ob regis timorem se celabant, inter se consuluerunt, et dicunt : « Confessionem horum fidelium fratrum nostrorum in tabulis plumbeis scribamus, et tabulae in theca aenea reponantur, et inter lapides in ore ipsius speluncae deposita sigilletur, ut casu fortasse Deus ante adventum suum aliquid mandet eo quod spelunca aperietur, et corpora horum sacrorum ob testimonium in tabulis *scriptum* honorentur ». Et, cum haec perfecissent, spelunca obstructa est. Mortuus est autem et rex Decius post annum unum et menses tres, cum filio suo apud Bĕruṭā [3] occisus ; et regnavit post eum Gallus et Olusianus, ut chronicon refert ; et factum miraculi futuri usque ad *annum* 38um ipsius regni Theodosii regis ⌈ filii Arcadii [4], et Olympiadem 34^{am}, post annos centum nonaginta [5] plus minus, productum ac conservatum est. Anno 38° regni Theodosii quaestio vitae mortuorum a disputatoribus et doctoribus sedulo agitabatur, cum hi a libris Origenis de corruptione corporis * dicerent elementa eius quando dissoluta *p. 115. essent cum ceteris *partibus* uniuscuiusque elementorum magnorum e quibus composita essent commixta esse, nec surgere *corpus* atque iterum ex eisdem elementis coniungi *ita* ut corpus uniuscuiusque nostri in prototypo eius in resuscitatione agnos-

[1] Gr. Βάρβος, Οὐάρβος, Ῥουφῖνος ; ‘Dion’, 14641 ‘ Warbos ’; Mich. ‘Domnus’ ; Cod. Berol. « ’RBNWS ». — [2] Litt. ‘ fideles ’ ; gr. κουβικουλάριοι κ. πιστοί ; cf. III, IV. — [3] Sc. Abrytum. — [4] Ms. ‘ post A ’ ; cf. p. 73, l. 12. — [5] Ms. ‘ 20 ’ ; cf. p. 73, l. 11.

catur, sed speciem solam spiritaliter, sicut *mutationem* in monte speciei *Domini nostri* Iesu Christi et Mosis et Eliae qui tribus discipulis apparuerunt, et alii verba sua et a propheta Ezechiele comprobarent ac confirmarent qui de vita mortuorum scripsit [1], et a *Resurrectione* Christi Dei nostri, primogeniti e mortuis [2], qui corpus suum Thomae ostenderit idque tetigerit et dixerit : « Vide et cognosce me esse; et spiritus carnem et ossa non habet, ut vides et tangis me habere » [3], itemque ab apostolo qui de semine ad Corinthios scribat corrumpi in terra moriens, et ipsum vivere et surgere [4], itemque a scriptis Methodii episcopi Olympi [5], et Eustathii Antiochiae, et Epiphanii Cypri. Et dubitabat rex et conturbababur verbis disputationis quae alia alia insequebantur. Et tum Deus misericors, qui non vult quenquam a via veritatis perire [6], mentibus aegri medicinam praebere quaesivit, et resurrectione dormientium qui ad hoc tempus, praescientia eius, conservabantur vitae promissionem revelare, et lucem in filios ecclesiae coruscare *facere*, et in Theodosium regem consolationem. Et subito Deus in mentem Adolii [7] (?) illius νομῆς domini quae speluncam continebat in qua confessores *obierant (p. 116) imposuit ut pecori suo septum ibi studiose aedificaret; et servi operariique diem ac duo ibi laborabant, et lapides ex ore aliorum sepulcrorum revolvebant, et ex ore speluncae illius in aedificationem septi. Et nocte diei secundi, cum ostii speluncae os perruptum atque apertum esset, Deus vivificator dormientibus, qui in ea inclusi erant, septem adulescentibus, vitam inspiravit atque instillavit; et gaudio et nitore προσώπων suorum se erexerunt et consederunt, et sicut mane omnis diei alius alium salutabant, cum nota mortuorum in eis non appareret; vestes enim eorum in corporibus eorum ita erant ut quando obdormierunt amicti erant [8], et corpus et caro personae eorum nitida erat ac firma, [et] [9] quasi a vespere ad mane dormissent et experrecti essent putabant, et cura ac sollicitudo vesperis in eis vigilabat, cum Decium regem de eis cogitare censebant. Et tristitia ac fletu alius alium intuiti sunt; et Dionysio curatori suo dixerunt ut de

[1] Ez., XXXVII, 12. — [2] *Col.*, I, 8. — [3] Luc., XXIV, 39. — [4] I *Cor.*, XV, 36-38. — [5] Ms. 'Olympiae'; cf. p. 10, l. 9. — [6] Cf. II Petr., III, 9. — [7] Ms. '(H)elladii'; gr. et cet. text. syrr. ut supra. — [8] Ita sensus; vide not. ad textum. — [9] In ms. excidit; e 'Dion.' et 14641 addidi.

eis *rebus* quae in urbe heri accidissent eos certiores faceret; eisque rettulit. Et respondit Achillides, et dixit eis : « Fratres, omnes coram βήματι Christi staturi sumus; sed ne hominum mortalium iudicium tremamus, neve fidem quae nobis est in Filio Dei eiuremus ». Et curatori suo dixerunt : « Iam hora est ut alimentum nobis in tempus debitum compares; et ad urbem vade in robore Domini nostri; et simul de eis *rebus* quae a Decio de nobis mandantur inquire, *et cito veni quod esurimus; (p. 117) quod parvum fuit alimentum quod nobis attulisti, nec nobis vespere suffecit ». Et mane diei, dum subobscurum est, curator spelunca exiit, et in manu sua argentum *erat* ab impressione monetae [1] ante ducentos annos *facta*; et, cum lapides vidisset depositos, miratus est, neque in animum induxit quid ei accidisset. Et de monte descendit et per invia iter faciebat, ne quis eum agnosceret. Et, cum ad portam urbis pervenisset, oculos sublevavit et vidit, et en ! signum crucis super ea infixum erat et attonitus est; et furtive respiciebat idque silenter intuebatur. Et reputavit, et ad aliam portam circumiit; et ita vidit et obstupuit. Et totam urbem extrinsecus ambivit, et insigne crucis portis eius impositum invenit; et urbs in oculis eius transformata erat, aedificiis diversis quae ei nunquam visa erant. Et progrediebatur et mirabatur; et mentem suam colligebat, et corpus suum tangebat, dum dicit : « Fortasse somnium est; quod en ! heri insigne crucis secreto abscondebatur, et hodie ante oculos hominum παῤῥησίᾳ apparet ». Et, cum per plateam transiret, multos audiebat qui, cum inter se colloquerentur, in nomine Christi iurabant; et dicebat : « Quidnam est hoc ? Nescio. Fortasse non est Ephesus quod en ! aedificiis suis et consuetudinibus etiam transformata est; et aliam urbem non cognovi nobis propinquam. » Et virum quendam rogavit, et dixit ei : « Huic urbi quomodo nomen *se habet ?* » Et dixit : « Ephesus ». Et putavit aliquid sibi accidisse, et se mente errasse et desipuisse; et in animo habuit statim exire et sociis suis narrare. Et, dum exire festinat, eis qui panem vendebant σχήματι mendici adpropinquavit, et argentum extraxit, eisque dedit; *idque contemplati (p. 118) sunt, et viderunt monetam [1] esse antiquam; idque ab alio ad

[1] μονῆτα.

alium translulerunt, dum susurrant et dicunt : « Hic vir [1] thesaurum invenit, qui a *multis* annis absconditus erat ». Is vero eos de se susurrantes seque contemplantes intuebatur, et ob timorem suum contremiscebat ; putavit enim eos eum agnovisse et ad domum regis Decii eum adducere velle, quia vultui eius 5 etiam adpropinquabant *eumque* intuebantur. Et tremefactus dixit eis : « Argentum vobis datum est nec panem quaero accipere ». Et manus ei iniecerunt eumque adprehenderunt, et eum rogaverunt : « Unde es ? Thesaurus enim regum priscorum a te inventus est. Sed ostende nobis et tibi participes simus ; et de te 10 celabimus, *ita* ut te in iudicium mortis non tradamus ». Is vero anima sua obstupuit, et dixit : « Et id etiam quod non timebam mihi in terrorem additum est ». Dicunt ei illi homines : « Intellege thesaurum non absconditum remansurum, o adulescens ». Et conturbatus est, nec scivit quid eis diceret. Et pallium eius 15 prehenderunt, et cervici eius circumiecerunt. Et, dum eum trahunt, fama per oppidum cucurrit : « Quidam hic captus est qui thesaurum invenit ». Et multitudines se effuderunt, et ad eum venerunt ; et vultum eius intuebantur, et dicunt : « Hic adulescens extraneus est, neque a nobis unquam visus est ». Et 20 is putabat se parentes et cognationem [2] in urbe habere, et velut insanus hunc et illum intuebatur, dum sibi fingit se familiarium suorum aliquem visurum et non est. Et fama ad episcopum divulgata est et ἀνθύπατον, qui casu apud eum fuit secundum voluntatem Dei qui eos convenire fecit, ut thesaurus vitae 25 mortuorum ceteris populis per eos revelaretur ; et mandaverunt ambo ut * adulescentem illum et argentum caute adducerent. Et, *p. 119. dum eum ducunt, huc et illuc spectabat, eumque ut insanum irridebant. Is vero censuit eos eum ad regem Decium perducere. Et, cum ad ecclesiam pervenisset, ⌜summus sacerdos et ἀνθύπατος 30 argentum de manu eius ceperunt, idque mirati sunt [3] ; et dixerunt ei : « Ubi est thesaurus unde argentum manibus tuis tenes ? » Et dixit adulescens : « Thesaurum nunquam inveni, ut vos de me putatis, sed a nummis huius oppidi est argentum ; et quid menti meae acciderit nescio ». Et dixit ἀνθύπατος : « Unde es et 35

[1] MICH. (qui hunc locum e Zach. citat) ' puer '. — [2] γένος. — [3] MICH. ' stupor eum occupavit, et factus est ut surdus. Oravit vero et summus sacerdos ' (sic).

cuius filius ? Et quis te cognovit ? Veniat testificetur de te ». Et dixit [« De Epheso sum » ; et dixit] [1] nomen parentum suorum ; nec quisquam eos cognoverat neque eum. Et dicit ἀνθύπατος : « Mendax es, nec veritas tibi inest ». Is autem stabat caputque 5 demittebat, et tacebat. Et dicunt, « Insanus est ». Alii autem dicebant « Ipse se pueriliter gerit ut ab ἀνάγκης evadat ». Et dixit ἀνθύπατος : « Quomodo te aestimabimus, insane ? Aut quomodo tibi credemus ? quod en ! impressio et moneta ? et inscriptio quae in argento *est* ducentos annos excedit, a tempore 10 Decii regis, nec monetae [2] temporum nostrorum quae accipitur ac datur similis est. Et vis tu adulescens nos senes sapientesque Ephesi decipere ? Ergo mando ut vinculis tradaris, donec confitèberis ubi sit thesaurus quem invenisti. » Tum Dionysius pronus cecidit, et dixit : « Unum quod vos rogo dicite mihi, et 15 omne quod in corde meo *est* vobis revelabo. Decius rex qui in hac urbe erat ubi est ? » Et dixit ei episcopus : « Non est hodie rex in terra cui nomen Decius, nisi * unus qui ante * p. 120. ducentos annos plus minus mortuus est ». Et pronus iacens dixit : « Ergo, domine, me vertigines tenent, et sermo meus a 20 nullo homine credetur. Surgite, mecum venite, et socios meos vobis ostendam qui in spelunca *sunt* montis Ānklās ; et ab eis discetis nos a tempore Decii regis qui huc ingressus est iam *multos* dies ibi fuisse. An vero haec urbs Ephesus sit nescio ». Et percepit episcopus novam esse revelationem quam Deus in 25 mundo ostendisset ; et cum ἀνθυπάτῳ et nobilibus et primoribus oppidi et multitudine festinavit, et iumentis insederunt, et cum adulescente ad speluncam pervenerunt. Et, dum per ostium ingrediuntur, a parte meridiana eius thecam aeneam sigillatam invenerunt, eamque aperuit et tabulas ex ea extraxit, et legit : 30 « A conspectu Decii regis persecutoris hi adulescentes fugerunt, et in hac spelunca inclusi sunt, Achillides, Dionysius, Eugenius, Stephanus, Probatius, Sabbatius, Cyriacus ». Et, cum scripturas legissent, mirati sunt, et Deum laudaverunt et alta voce *ei* gratias egerunt. Et ingressi invenerunt illos confessores nitore sedentes, 35 et πρόσωπα eorum luci similia, et ceciderunt eos*que* humi adoraverunt ; et didicerunt etiam a sermone eorum vivo de

[1] In ms. excidit ; e MICH. addidi. — [2] μονήτα.

omnibus *rebus* quae acciderant. Et continuo litterae ad regem missae sunt quae haec omnia quae supra scripta sunt ordine indicabant. Et studio commotus est dum Deum laudat ipse et summi sacerdotes et primores, et cito Ephesum pervenerunt, et urbs ei obviam exiit, et χώρας episcopus et primores, et ad speluncam venerunt; et confessores obviam regi alacriter prodierunt et * eo valde gavisi sunt. Et rex intravit, et pronus ante pedes eorum cecidit, eosque amplexus est, et in cervicibus eorum flevit, et coram eis humi consedit; eosque intuebatur, et loquebatur et Deum laudabat et dicebat: « Faciem vestram intueor ut regem Christum, ubi Lazarum vocavit et sepulcro exiit. Et mente mea iam audio ac video adventum gloriae eius, cum mortui ei obviam sepulcris exibunt, ut nictus oculi, cornu quod per archangelum de caelo sonabit [1] absque mora ». Et dixit Achillides regi: « Ergo in pace permane hac ipsa perfectione fidei tuae; et Christus Iesus Filius Dei maiestatem tuam a perturbationibus mali custodiet. Verumtamen noveris propter te Dominum nostrum nos a pulvere excitasse ante diem magnum resuscitationis, nos qui ut infans *eramus* qui in ventre matris sui quiescit, neque honorem aut contumeliam sentit, aut vivos aut mortuos. Ita nos etiam silebamus et quiescebamus ut dormientes vita carentes ». Et postquam haec dixit, rege ac nobilibus eos intuentibus, sopiti sunt omnes et obdormierunt, et capita sua pulvere fulserunt, et spiritum suum tradiderunt, mandato Dei. Et rex super eos cum fletu stetit, et vestitum suum regium super eos stravit, et septem thecas aureas corporibus eorum fieri iussit. Et eadem nocte ei in somnio apparuerunt eique dixerunt: « E pulvere corpora nostra resuscitata sunt, neque e magnificentia auri. Igitur in eodem loco super pulvere nos relinque in spelunca; quoniam Deus nos iterum ab eo suscitabit ». Tum rex mandavit, et tesseras aureas ibi infra eos fecit, * eosque ibi reliquit, ad hunc diem, templo magno super ipsam speluncam in honorem aedificato, et domo in qua preces et officium super corpora eorum fierent. Et in concilio episcoporum factum est festum magnum in memoriam eorum, et eleemosyna magna pauperibus regionis a rege data est; et sacerdotes qui vincti erant liberati

[1] I *Cor.*, xv, 22.

sunt, et alii propter causam transgressionis. Et cum gaudio regem Constantinopolim comitati sunt, dum Deum laudant *eique* benedicunt. Amen et amen!

CAPUT II DE HAERESI EUTYCHIS PRESBYTERI ET καθαιρέσεως EIUS.

Eutyches presbyter quidam et archimandrita ex eis qui Constantinopoli habitabant inclusus diebus Theodosii regis [1], hic visitabatur cum quasi propter verecundiam et Dei timorem multi qui in ipsa urbe aderant ad eum convenirent, et praesertim milites [2] palatii [3] doctrinae amantes; quoniam illo tempore Nestorius qui expulsus erat ob foeditatem doctrinae iuste vituperabatur; qui de incorporatione Dei Verbi sordide opinabatur ac docebat, et duas naturas post unionem separatim intellegebat in Christo Deo nostro, et prioritatem infantis qui in Virgine conceptus ac formatus est opinabatur, et hunc Iesum et Christum vocabat, et Deum Verbum postea in eum supervenisse putabat, propemodum ut Paulus Samosatensis, et ut doctrina Diodori et adseclarum eius, cui studebat ac consentiebat et *quam* diligebat; semper Virginem autem sanctam Mariam statim Deiparam vocare recusabat, ut doctores veri qui ante eum *erant*, Athanasius et Gregorius, et Basilius et Iulius * et ceteri, sed et eos reprehendebat, ut epistula testificatur quam ab Oasi ad clericos et cives scripsit [4]. Ideoque, cum multi doctrina eius offensi essent, et synodus etiam Ephesi congregata esset CXCIII centum nonaginta trium [5] episcoporum, et doctrinam eius scrutata esset, eumque secundum ordinem canonum ecclesiae ter vocasset ut defensionem faceret et interpretationes suas reprehenderet, et Iesum Deum Verbum qui incarnatus est unam hypostasin ac naturam sicut doctores sanctae ecclesiae probate docent confiteretur, et noluisset, ut Socrates etiam haec breviter de eo scribit [6], πεπραγμένα autem fuse, et ob hanc *causam* καθαίρεσις eius facta esset diebus Caelestini et Cyrilli et Iuvenalis priusquam adveniret Johannes Antiochiae et episcopi qui cum eo *erant* qui cunctati sunt, tempore nimirum fere quod praesens erat, cum Eutyches unam naturam in Christo confirmare vellet, veritatem corporis a Virgine *orti*, quod Deus

[1] Ita clausula incompleta relicta est. — [2] Sensu civili. — [3] παλάτιον. — [4] Cf. *Rev. de l'Or. chr.*, XV, 275. — [5] Ita num. in textu iteratus est. — [6] SOCR., VII, XXXIV.

Verbum in ea et ab ea adsumpsit, repudiabat, et colloquio suo cum eis qui ad eum commeabant hic Eutyches dogma[1] haud accuratum adfirmabat, cum haud exercitatus esset, sed ut aera[2] qui venti vi corpus induat et imber vel nix fiat, vel ut aquam quae aere[2] sicco glacies fiat multos docebat [fuisse][3]. Et, cum fama doctrinae eius foedae pervulgata esset, ab Eusebio episcopo Dorylaei qui * in urbe adfuit investigata est, et Flavianum summum sacerdotem de ea certiorem fecit et scriptum *ei* dedit. Et ab episcopis XXXI qui ibi adfuerunt, et archimandritis XXII ter vocatus est ut veniret et de opinionibus suis defensionem faceret, easque retractaret, et scriptum verae confessionis daret. Et primo quidem noluit, dum modo dicit se regula obstrictum esse ut in inclusione in saeculum sit, et rursus se aegrotare et tussi dolere, et senem esse, cum militum palatii[4] familiarium suorum auxilio confideret. Et rex de his *rebus* didicit. Postremo autem, cum decretum esset ut κάθαίρεσις eius fieret, coactus est et ad concilium episcoporum pervenit ; et voluntatis suae perfectione *opiniones* suas non retractavit, sed dicere solebat : « Ut duas naturas in Christo docetis, ita dico ». Et en ! haec omnia diserte apud πεπραγμένα eius synodi fuso sermone ordine scripta sunt. Et ut nos sermonem non producamus, sed paucis *verbis* multa comprehendamus, ut dixit sapiens[5], ea iterum separatim narrare eaque hic scribere supersedemus. Facta est ergo καθαίρεσις eius. Et inquisitiones contra eum *factae*, et διαλαλιαί, et praesertim in eis *rebus* quae [ab][6] Eusebio Dorylaei cum eo dicebantur, duas naturas post unionem diserte docebant, paene ut in Nestorii doctrina ; et διαλαλιά Flaviani eadem opinabatur. Et, cum Eutyches Flavianum et Eusebium et socios eorum qui eum gradu summoverunt declinasset, libellos[7] * Romam misit, ad Leonem summum sacerdotem eius urbis, dum obsecrat ut de eo gesta in alia synodo explorentur, [et][6] responsum accepit. Et, cum Flavianus et socii eius audissent, ipsi quoque scripserunt, et πεπραγμένα de Eutyche ad Leonem miserunt ; et *is* fecit epistulam ad Flavianum quae vocatur Tomus, in qua sunt capita multa quae a doctoribus dogmaticis[8] vituperantur, quae illo tempore

[1] δόγμα. — [2] ἀήρ. — [3] In ms. excidit ; e Mich. addidi. — [4] παλάτιον. — [5] Sir., XXXV, 8. In textu syr. a Lagarde edito non invenitur. — [6] In ms. excidit. — [7] λίβελλοι. — [8] δογματικός.

a Dioscoro *eis*que qui cum eo *erant* reprehensa sunt, et rursus a Timotheo magno eius successore, et operibus multis aliorum, quae hic rursus citare et scribere praetermittimus.

CAPUT III BREVITER DE SYNODO SECUNDA EPHESI *HABITA* INDICAT, PROPTER FLAVIANUM SUMMUM SACERDOTEM ET EUTYCHEM MONACHUM.

Congregata est ergo synodus propter Flavianum et Eutychem secunda Ephesi, praesentibus eis qui vicarii Leonis cum epistula eius missi sunt ; et ad eam convenerunt CLXXXVIII episcopi, quorum principes, duces eorum, sunt Dioscorus Alexandriae, et Iuvenalis Hierosolymorum, et Domnus Antiochae ; et πεπραγμένα de Eutyche quae Constantinopoli *facta sunt* explorata sunt, et relegatus est Flavianus et Eusebius. Et clamor ab episcopis ibi *collectis* factus est, et anathematizaverunt quicunque dicat duas naturas in Christo post unionem. Et facta est porro ibi quaestio de eis *rebus* quas scripsit Theodoretus * Cyrrhi in reprehensionem duodecim κεφαλαίων quae fecit Cyrillus contra Nestorium, qui antea eiectus est, et de epistula Hibhā Edessae, quam ad Māri Persam scripsit de Cyrillo et propter Nestorium, et de eis *rebus* quas in interpretationibus suis de Iesu Christo et Maria dixit, ut eius ipsius diaconi accusatores eius testificati sunt. Et Iohannes *urbis* Geyos[1] etiam et socii eius et alii gradu summoti sunt. Eutyches vero archimandrita receptus est quoniam Ephesi libellos[2] paenitentiae synodo ibi *habitae* fecit, et fidem veram confessus est. Fecit autem synodus Constantinopoli pro Flaviano Anatolium et dissoluta est.

CAPUT IV QUOD κατάστασιν SUMMORUM SACERDOTUM INDICAT A SYNODO PRIMA EPHESI *HABITA* DONEC THEODOSIUS REX MORTUUS EST DIEBUS VALENTINI, EIQUE SUCCESSIT MARCIANUS, QUI SYNODUM CHALCEDONIS BITHYNIAE CONGREGAVIT ANNO 764 ALEXANDRI GRAECORUM.

Quoniam vero κατάστασιν summorum sacerdotum a synodo prima Ephesi *habita* donec Theodosius mortuus est operi nostro consentaneum est narrare, sunt hi. Romae, post Caelestinum, factus est Leo annos XXI et dies insuper XLIII. Et Alexandriae,

[1] Sc. Aegearum ; vide n. ad IX, XXI. — [2] λίβελλοι.

post Cyrillum, Dioscorus annos VIII et menses III. Et Constantinopoli Maximus annos II et menses II ; et, post eum, Proclus, annos II et menses II ; et, post eum, Flavianus annos VI ; et, post eum, Anatolius, annos VIII. Antiochiae, post Iohannem, Domnus ; et, post eum, Maximus. Et Hierosolymis, Iuvenalis, annos XXXVI, *qui idem tribus synodis adfuit ; quoniam tempus annorum eius productum est. (*p. 127.)

CAPUT V IN QUO EST EPISTULA PROCLI SUMMI SACERDOTIS IPSIUS CONSTANTINOPOLIS AD ARMENIOS, [QUAE] [1] PRAESTANTISSIMA EST ET VIRI FIDEM INDICAT. ET IN MEMORIAM [EIUS] [1] EAM HIC EXSCRIPSIMUS IN UTILITATEM FRATRUM NOSTRORUM FIDELIUM [2].

Epistula Procli.

Mysterium fidei verae, dilecti mei, dilectio est et confessio pura dubitationis expers Trinitatis aequalis quae non dividitur neque additamentum accipit, et mens firma quae fide sua ergo Deum nullo pacto variatur, fide quam non in tabulis lapideis ut in typo [3] tenemus, sed in tabulis cordium nostrorum [4] quasi mysterio portamus, tabulis quae cruci adfixae sunt, et aspersione sanguinis Dei exscriptae. Nec credere tantum nos oportet, sed etiam virtutes currendo insequi, et mores fide dignos. Virtus enim omnibus eligenda est, praesertim eis quorum animae pulcritudo vita odibili libidinum haud corrupta est. Species enim virtutis multae *sunt*. Etiam pagani enim errore suffocati et intellectu gubernatore spoliati de virtute scripserunt, sed in *eis rebus* quas doctrina sua scripserunt * naturam apparentem ac continenter fluentem solam tetigerunt ; a perceptione autem vera et a virtute recta aut temporis spatio oculis hebetes facti sunt aut errore caecati [5]. Dicunt enim illi doctrina sua quattuor esse virtutis species, hoc est, iustitiam et temperantiam et sapientiam et fortitudinem : quae, etsi pulcra esse videntur, infra tamen gradiuntur, et [illegible]erra sunt. Dicunt enim (*p. 128.)

[1] In ms. excidit. — [2] Haec ep. graece in *P. Gr.*, LXV, 856, et latine in *P. Lat.*, LXVII, 409, legi potest. Textus syr. eiusdem vers. in Add. 14557, f. 161 v°, unde a Bedjan *(Le livre d'Héraclide,* p. 596 ; Parisiis, 1910) editus est, et alius vers. in Add. 12156, f. 63 r°, exstat. Usque ad 'dignos' (l. 21) noster textus cum his nihil commune [illegible] et inde ad 'caecati' (l. 28) valde ab eis discrepat. — [3] τύπος. — [4] II *Cor.*, III, 3. — [5] Sic clausula in syr. constructa est.

fortitudinem certamen esse cum natura dura, et temperantiam victoriam de passionibus, et sapientiam regimen illustre urbium, et iustitiam divisionem rectam. Mundum quasi νόμῳ ordinaverunt et constituerunt, et iniuriam ab utraque parte cohibuerunt. Quod vero hoc visibili praestantius et altius est non intellexerunt, nec describere etiam potuerunt ; sed caecitate mentis suae ipsi virtutem constrinxerunt, eamque in hoc quod videtur tantum incluserunt. Christiani [1] vero quorum oculi cordium fide eorum illuminati sunt, quorum magister ac doctor est beatus Paulus, virtutem dixerunt esse id quod ad Deum elevet, et quae in terra *sunt* ordinatim regat. Hic igitur ipse in omnibus *rebus* beatus Paulus multas aestimavit esse virtutis species [2], de tribus autem illis praecipue proclamavit, quae sunt fides et spes et dilectio [3]. Fides enim id quod natura humana altius est hominibus dat, * eumque qui corporis natura passionibus abundante adhuc indutus est spiritalibus commiscet. Eius enim quod angeli et potestates spiritales propter magnitudinem eius nescierunt fides scientiam dedit hominibus, qui humi ambulant, et in pulvere volutantur, et regni throno [4] eos adpropinquare facit, eosque de illa natura quae initio ac fine caret, et radio e se *emisso* tenebrarum caliginem anima expellit, et, postquam cunctam obscuritatem ac densitatem de corde abstersit, tunc id quod invisibilitate sua comprehenditur, itemque incomprehensibilitate sua videtur perspicue videndum praebet certiores facit. Spes vero non ut in somnio, potest aliquis dicere, sed fortiter ex hoc tempore quae futura sunt ostendit, et quod futurum est sine dubio in mente confirmat quasi videretur, et, ut dicere licet, quod aliquis exspectat ante oculos eius depingit. Spes enim omni impedimento altior est, et quod exspectatur ei qui id exspectat sine obstaculo adpropinquare facit. Dilectio autem omnium mysteriorum nostrorum principium est. Ipsa enim Deo Verbo suasit ut, dum semper in terra est, et omnibus propinquus est et cum omnibus est, eoque et caelum etiam et terra plena sunt, incorporaretur et per corpus veniret ; ⌜et, dum Deus est, homo etiam factus est. *Quod* suum *est* propter se conservavit, et nobis similis propter nos factus est. [5] Ambae igitur altera alteri congruunt ; fides enim (*p. 129.)

[1] Gr. lat. et 12156 om. — [2] *Gal.*, V, 22, 23. — [3] I *Cor.*, XIII, 13. — [4] θρόνος. — [5] Cet. textus om.

dilectionis speculum est, et dilectio etiam fidei perfectio est. Credimus igitur Deum Verbum sine mutatione incorporatum esse, et iuste credimus. Hoc enim salutis nostrae fundamentum est[1]; nec natura eius * mutationem accipit neque in Trinitate additamentum facit. ⌜Etenim ita etiam credimus.[2] Omnis igitur christianus qui fide et spe et dilectione non dives est, non est id quod nominatur, sed, etsi videatur corpus suum subiecisse et animae suae passionibus liberatus esse, coronam victoriae non meretur; quoniam σχῆμα visibile virtutis conservavit, victorum autem coronatori non adpropinquavit, qui fide et spe et dilectione pro virtute fortiter luctati sunt. Fides igitur secundum id quod diximus omnium *rerum* bonarum principium est. Sine fraude igitur conservetur, neve eam falsitate cogitationum humanarum inquinemus, neve vocibus turbantibus confundamus, neve etiam interpretatione eorum qui sapientes esse videntur; ⌜quoniam fides non interpretatur — fides mysterium est.[2] Maneat igitur intra terminum evangelii apostolorum, neve quis interpretatione sua cum fide luctari audeat qua salvatus est, quamque per litteras linguae suae in baptismo confessus est. Fidei enim altitudo omnem impetum et impudentiam et audaciam repellit, non solum hominum, sed etiam omnem naturam spiritalem. Et beatus Paulus testificatur eo quod clamat: « Si nos aut angelus de caelo vobis praedicabit praeter quod recepistis anathema sit »[3]. Ministrandi enim causa statutus est angelus, non doctrinae proclamandae; et ei qui in eo quod mandatum est non perstat, sed id quod natura eius altius est tentat poenam adfert; sed, etsi naturae suae altitudinem ostendat, proclamationis eius novitas ne accipiatur. Quod igitur accepimus sine dormitione custodiamus, et * fidei nostrae luce oculus animae nostrae semper apertus sit. Quid enim nisi hoc de Scriptura divina accepimus, Deum verbo suo mundum e nihilo creasse, et creaturam quae non esset ad essentiam produxisse, et ⌜imagine sua ac similitudine hominem fecisse, eumque[4] naturae νόμῳ honorasse, et libertati porro mandatum dedisse, eique utilitatem eius ostendisse ut electione boni malum fugeret; et inclinationem hominis ad malum

*p. 130. — *p. 131.

[1] Gr. add. ἀλλὰ κ..ἀγαπῶμεν τὸν δι'ἡμᾶς τὴν τοῦ δούλου μορφὴν λαβόντα; ita lat. et syrr. — [2] Cet. om. — [3] *Gal.*, I, 8. — [4] Gr. τὸ λογικὸν ζῶον; ita lat. et 12156; 14557 'hominem'.

voluntate *effectum* inobedientem Paradiso expulisse; necnon per patres et patriarchas et per νόμους et iudices et prophetas Opificem nostrum naturam nostram instruxisse ut peccato abstineret, et bonum curaret et exerceret; postremo autem, cum peccatum voluntate nostra in nos regnasset, quoniam νόμος naturae corruptus esset, et νόμος scriptus contemptus esset, et prophetae ut homines de actibus monuissent, sed corporis nostri humanitatem e profunditate malorum non sustulissent, ipsum Deum Verbum, qui sine initio ac sine fine sit, et incomprehensibilis, et invisibilis, et omnipotens, Deum Verbum venisse et incorporatum esse — valebat enim quod voluit fieri? Incorporatus est igitur ⌜Deus Verbum, qui unus *est* e Trinitate[1]. Incorporatus est autem quod voluit; et e Virgine natus est quod se revera hominem factum esse ubique ostendere voluit. Non enim dixit evangelista eum hominem perfectum intrasse, sed de naturae initio dixit eum carnem factum esse[2], et ad nativitatis principium recurrisse. Quemadmodum enim homo qui naturaliter nascitur * perfectione actionis completus non statim procedit, sed ipsum semen naturae primo corpus fit, et postea gradatim post multum tempus vim passionum adsumit, et totius actionis, ita Deus Verbum ad ipsum initium ac radicem nativitatis recurrit. Deus igitur Verbum homo perfectus factus est, ea ratione ut naturam immutabilem miraculo quod effecit, quod in cor nunquam adscendit, non imminuerit. Sed haec fide discimus, neque inquisitione comprehendimus. Et homo factus totum genus[3] hominum corpore suo salvum fecit, et peccati debitum persolvit, eo quod ut homo pro omnibus mortuus est; eum autem qui malum mortis dominium tenebat, qui est Satanas[4], ut Deus mali osor destruxit. Νόμου vero ⌜possibilitatem ostendit[5] eo quod omnem iustitiam complevit[6], et naturae nostrae pulcritudinem eius pristinam dedit, et eo quod homo factus est naturam terra *ortam* honoravit, ⌜seque eius formatorem esse ostendit[7]. Unus igitur est Filius. Trinitatem enim quae in una essentia *est* adoramus, et quartum in hunc numerum non introducimus; sed unus est Filius qui a Patre suo genitus est, sine initio ⌜et sine

*p. 132.

[1] Cet. om. — [2] IOH., I, 14. — [3] γένος. — [4] *Hebr.*, II, 14. — [5] Lat. 'quod erat impossibile fecit esse possibile' (*Rom.*, VIII, 3). — [6] MATTH., III, 15. — [7] 14557 'cuius formator est'. Cet. similem sensum dant.

fine [1], per quem saecula facta esse [2] credimus, qui ex illa radice est, qui sine fluxu e Patre suo emicuit [3], Deus [1] Verbum qui sine discessu a Patre procedit, et manet ut est; etenim, et[si] ⌜homo factus est et [1] in terra visus [4], tamen ab eo qui eum genuit non discessit. Voluit igitur Deus Verbum eum quem formavit salvum facere et in utero habitavit, qui universae naturae porta communis est, eumque salvum fecit; [et habitatione sua] [5] utero benedixit *, et exitu suo eum sigillavit, suaque supra naturam nativitate de se ipso ostendit se supra rationem incorporatum esse. ⌜In superis enim et in inferis qui sciant quomodo incorporatus sit non sunt. [1] Non igitur alius est Christus et alius Deus Verbum — absit!. Natura enim divina duo filios nescit. Unicus igitur ab uno genitus est; ubi enim parentum coitus non est, ibi dualitas natorum non invenitur. « In nomine Iesu Christi omne genu flectetur, quod in caelo *est* et in terra et sub terra » [6]. Si enim Christus alius est, neque ipse est Deus Verbum, Christum hominem simplicem esse ἀνάγκη *est*; et quomodo natura sublimis caelestium genu flectunt [7] et nomen eius adorant [7], ⌜nisi Deus est de Deo [8]? aut quomodo prophetarum voces accipiemus clamantes, « Deus in terra visus est et cum hominibus conversatus est » [9]? De incorporatione enim eius dixit eum visum esse, et eum conversatum esse de conversatione eius cum hominibus ⌜fine saeculorum [10] indicavit, qua ipsa ⌜is qui magnitudine sua excelsus est [11] omnipotentiam suam ostendit, et, ut omnitenens ⌜cui omnia facilia *sunt* [8], id quod est propter se mansit, et quod voluit propter nos factus est. Si quibus vero causa offensae fiunt panni, et reclinatio in praesepio, et corporis augmentum, et dormitio in nave, et lassitudo in itinere, et fames quae interdum fuit, et quaecunque ei qui revera homo factus est acciderunt, sciant se *utpote* contra passionem eius discordes dispensationem negare; quando autem dispensationem negaverint, incorporationem non credere; quando autem incorporationem non crediderint, * vitam suam perdidisse. Si enim ⌜a fundatione mundi

[1] Cet. om. — [2] *Hebr.*, I, 2. — [3] *Ibid.*, 3. — [4] BAR., III, 38. — [5] In ms. excidit: e gr. et 14557 addidi. — [6] *Philipp.*, II, 10. — [7] Sic syr. — [8] Cet. om. — [9] BAR., l. c. — [10] Gr. ἐπὶ καιροῦ, et ita lat. et 12156. — [11] Gr. ὁ ἄφθονος; lat. '(cuius) sine invidia bonitas'. Legendum fortasse ܒܛܝܒܘܬܗ ('bonitate sua').

nullus homo natus sit qui talem nativitatis viam gressus sit [1], contentiosi ⌜novi Iudaei [2] nobis ostendant; et tum fatuitas importunitatis eorum manifestabitur. Quod si hoc naturae communis initium est et Deus Verbum homo revera factus est, quomodo, cum dispensationem nobiscum confitentur, passiones negant? Unum igitur de duobus sibi eligant, ut aut, cum passiones negant, dispensationem negent, ut cum impiis censeantur, aut, si lucrum accipiunt quod a dispensatione *fit*, passionum eos non pudeat. Miror vero caecitatem cordis eorum qui noviter erroris viam calcaverunt. Ego enim e sanctis Scripturis unum Filium novi, et iuste didici, et unam naturam [3] Dei Verbi qui homo factus est credo; et idem passiones sustinuit, et miracula fecit; et ipse a Patre suo ante omnia genitus est, et ipse fine saeculorum incorporatus est, ⌜et e Maria Deipāra natus est; [2] et eum esse ⌜super omnia Deum [4] confitemur, neque alienum quidquam in Deitatis naturam introducimus; in ⌜Trinitate enim unius essentiae [5] nihil superfluum est [6], sed idem Dominus Iesus Christus, per quem omnia facta sunt, et ipse passiones nostras sustinuit, et infirmitates nostras accepit, ut dixit propheta [7], et idem miracula fecit et pro nobis passus est. Sed fortasse ⌜contentione sua novi illi Iudaei [2] contra nos tumultuabuntur, dum rationes aranea debiliores fingunt: « Si Trinitas una essentia est, ergo passionis expers est Trinitas. Et [1] Dominus noster Iesus Christus [2] in Trinitate * numeratur, ⌜et ipse est [2] Deus Verbum. Ergo passionis expers est; et qui crucifixus est alius esse invenietur, neque ipse Deus Verbum, qui passionis expers est ». Vere « telam araneae texunt » [8] qui ita dicunt; et super aquas scribunt qui haec nova argumenta meditantur; et, « cum putarent se sapientes esse, stulti facti sunt, et cor eorum haud intellegens obscuratum est » [9]. Oculus enim hebes ipsum radium solis pure intueri non valet, et mens aegra fidei celsitudinem non recipit. Quid igitur dicimus? Secundum rationem Deitatis Trinitatém unam esse essentiam, et passionibus

[1] Gr. ἐξωλίσθησεν ἀπὸ γενέσεως κόσμου εἰς τὸν βίον ἀνθρ. ἑτέραν παρὰ ταύτην φύσεως βαδίσας ὁδὸν; ita lat. et 12156. — [2] Cet. om. — [3] Gr. ὑπόστασιν; ita cet. — [4] Syrr. cet. 'Filium'. In gr. et lat. clausula om. est. — [5] Gr. τῷ θρόνῳ; ita lat. et 12156; 14557 'throno essentiae'. — [6] Seqq. ad. 'est' (l. 21) in gr. et lat. om. sunt. — [7] Is., LIII, 4. — [8] Is., LIX, 5. — [9] *Rom.*, I, 21, 22.

fine [1], per quem saecula facta esse [2] credimus, qui ex illa radice est, qui sine *fluxu* e *Patre* suo emicuit [3], Deus [1] Verbum qui sine discessu a Patre procedit, et manet ut est ; etenim, et[si] ⌜homo factus est et [1] in terra visus [4], tamen ab eo qui eum genuit non discessit. Voluit igitur Deus Verbum eum quem formavit salvum facere et in utero habitavit, qui universae naturae porta communis est, eumque salvum fecit ; [*et habitatione* sua] [5] utero benedixit *, et exitu suo eum sigillavit, suaque supra naturam nativitate de se ipso ostendit se supra rationem incorporatum esse. ⌜In superis enim et in inferis qui sciant quomodo incorporatus sit non sunt. [1] Non igitur alius est Christus et alius Deus Verbum — absit !. Natura enim divina duo filios nescit. Unicus igitur ab uno genitus est ; ubi enim parentum coitus non est, ibi dualitas natorum non invenitur. « In nomine Iesu Christi omne genu flectetur, quod in caelo *est* et in terra et sub terra » [6]. Si enim Christus alius est, neque ipse est Deus Verbum, Christum hominem simplicem esse ἀνάγκη *est* ; et quomodo natura sublimis caelestium genu flectunt [7] et nomen eius adorant [7], ⌜nisi Deus est de Deo [8] ? aut quomodo prophetarum voces accipiemus clamantes, « Deus in terra visus est et cum hominibus conversatus est » [9] ? De incorporatione enim eius dixit eum visum esse, et eum conversatum esse de conversatione eius cum hominibus ⌜fine saeculorum [10] indicavit, qua ipsa ⌜is qui magnitudine sua excelsus est [11] omnipotentiam suam ostendit, et, ut *omnitenens* ⌜cui omnia facilia *sunt* [8], id quod est propter se mansit, et quod voluit propter nos factus est. Si quibus vero causa offensae fiunt panni, et reclinatio in praesepio, et corporis augmentum, et dormitio in nave, et lassitudo in itinere, et fames quae interdum fuit, et quaecunque ei qui revera homo factus est acciderunt, sciant se *utpote* contra passionem eius discordes dispensationem negare ; quando autem dispensationem negaverint, incorporationem non credere ; quando autem incorporationem non crediderint, * vitam suam perdidisse. Si enim ⌜a fundatione mundi

[1] Cet. om. — [2] *Hebr.*, I, 2. — [3] *Ibid.*, 3. — [4] BAR., III, 38. — [5] In ms. excidit : e gr. et 14557 addidi. — [6] *Philipp.*, II, 10. — [7] Sic syr. — [8] Cet. om. — [9] BAR., l. c. — [10] Gr. ἐπὶ καιροῦ, et ita lat. et 12156. — [11] Gr. ὁ ἄφθονος ; lat. '(cuius) sine invidia bonitas'. Legendum fortasse ܒܛܝܒܘܬܗ ('bonitate sua').

nullus homo natus sit qui talem nativitatis viam gressus sit [1], contentiosi ⌜novi Iudaei [2] nobis ostendant ; et tum fatuitas importunitatis eorum manifestabitur. Quod si hoc naturae communis initium est et Deus Verbum homo revera factus est, quomodo, cum dispensationem nobiscum confitentur, passiones negant ? Unum igitur de duobus sibi eligant, ut aut, cum passiones negant, dispensationem negent, ut cum impiis censeantur, aut, si lucrum accipiunt quod a dispensatione *fit*, passionum eos non pudeat. Miror vero caecitatem cordis eorum qui noviter erroris viam calcaverunt. Ego enim e sanctis Scripturis unum Filium novi, et iuste didici, et unam naturam [3] Dei Verbi qui homo factus est credo ; et idem passiones sustinuit, et miracula fecit ; et ipse a Patre suo ante omnia genitus est, et ipse fine saeculorum incorporatus est, ⌜et e Maria Deipāra natus est ; [2] et eum esse ⌜super omnia Deum [4] confitemur, neque alienum quidquam in Deitatis naturam introducimus ; in ⌜Trinitate enim unius essentiae [5] nihil superfluum est [6], sed idem Dominus Iesus Christus, per quem omnia facta sunt, et ipse passiones nostras sustinuit, et infirmitates nostras accepit, ut dixit propheta [7], et idem miracula fecit et pro nobis passus est. Sed fortasse ⌜contentione sua novi illi Iudaei [2] *contra* nos tumultuabuntur, dum rationes aranea debiliores fingunt : « Si Trinitas una essentia est, ergo passionis expers est Trinitas. Et [1] Dominus noster Iesus Christus [2] in Trinitate * numeratur, ⌜et ipse est [2] Deus Verbum. Ergo passionis expers est ; et qui crucifixus est alius esse invenietur, neque ipse Deus Verbum, qui passionis expers est ». Vere « telam araneae texunt » [8] qui ita dicunt ; et super aquas scribunt qui haec nova argumenta meditantur ; et, « cum putarent se sapientes esse, stulti facti sunt, et cor eorum haud intellegens obscuratum est » [9]. Oculus enim hebes ipsum radium solis pure intueri non valet, et mens aegra fidei celsitudinem non recipit. Quid igitur dicimus ? Secundum rationem Deitatis Trinitatém unam esse essentiam, et passionibus

[1] Gr. ἐξωλίσθησεν ἀπὸ γενέσεως κόσμου εἰς τὸν βίον ἀνθρ. ἑτέραν παρὰ ταύτην φύσεως βαδίσας ὁδὸν ; ita lat. et 12156. — [2] Cet. om. — [3] Gr. ὑπόστασιν ; ita cet. — [4] Syrr. cet. 'Filium'. In gr. et lat. clausula om. est. — [5] Gr. τῷ θρόνῳ ; ita lat. et 12156 ; 14557 'throno essentiae'. — [6] Seqq. ad 'et' (l. 21) in gr. et lat. om. sunt. — [7] Is., LIII, 4. — [8] Is., LIX, 5. — [9] *Rom.*, I, 21, 22.

superiorem esse. Cum dicimus Filium passum esse, naturaliter non dicimus eum passum esse; natura enim eius passionibus superior *est*; sed, cum confitemur Deum Verbum unum e Trinitate incorporatum esse, intellegendi facultatem damus eis qui fide rogant, «Quare incorporatus est?». Quoniam ⌜homo qui Dei imagine constitutus est, cuique libertas absoluta data est, ipsa libertate erravit, et consilio deceptoris ductus est, et se errori dedit, et libidinum passionibus servus factus est, passionibus quae in omnes compositos dominantur — passiones sunt quarum finis est mors, — quasque inter creatos nemo est qui aboleat, [1] Deus Verbum passiones quarum finis est mors [2] abolere voluit. Voluit [1] autem ⌜incorporari et compositus fieri, hoc est, homo perfectus, in omni re nobis similis, praeter peccatum; quoniam [1] ut natura incorruptibilis ⌜et inadprehensibilis et invisibilis [1] passiones acciperet *fieri* * non poterat. Omnes enim passiones omnium compositorum certamina sunt — apud naturam enim altam Deitatis, quae sola omnibus *rebus* superior *est*, compositio deest. Passio igitur eo pervenire non poterat, ubi compositio etiam non invenitur. Voluit igitur Deus Verbum passiones in naturam passibilem regnantes abolere, ut antea diximus, quarum arx erat mors, et corpus e Virgine factus est, ut novit Deus Verbum, et homo factus est perfecte, ⌜dum est Deus super omnia. Non enim suum reliquit et nobis similis factus est; sed dum est Deus homo factus est; [3] ita enim ei placuit. Sponte [3] igitur se exinanivit in forma servi [4], ⌜et homo factus est et sponte pro nobis passus est, [3] quamquam Deitas eius nullo modo inclusa est; itaque omne genus [5] hominum salvum fecit. Idcirco Gabriel etiam, dum potentiam atque auctoritatem eius qui natus est adnuntiat, Mariae dicit: « Ipse populum suum a peccatis eorum salvum faciet » [6]. Populus vero non est hominis sed Dei, nec potest homo mundum a peccatis liberare, quoniam ipse etiam in corruptione mundum intravit, sed necessario idem, non in duo divisus — absit! — sed, dum unus est, eo quod e muliere natus est, se revera hominem *esse* ostendit; eo autem quod sine coitu fuit, et genetrici suae virginitatem conservavit, se Deum esse indicavit. Mundum igitur salvum fecit Dominus Iesus Christus, qui in mundum venit « et cum hominibus

* p. 136.

[1] Cet. om. — [2] *Rom.*, VI, 21. — [3] Cet. om. — [4] *Philipp.*, II, 7. — [5] γένος. — [6] MATTH., I, 21.

conservatus est » [1], ⌜ut * sanctae Scripturae testificantur [2]. Si autem Christus homo est, neque est ipse Deus Verbum, quomodo a principio omnia creavit, cum non esset? Si enim homo creaturis iunior erat, constat Christum eos qui ante eum *fuerunt* in exsistentiam non protulisse; et quomodo Paulus clamat et dicit, « Unus est Dominus Christus, in quo omnia facta sunt » [3]? Si enim omnia per Christum facta sunt, constat Christum esse ipsum Deum Verbum. Et testificatur evangelista dum dicit: « In principio erat Verbum; et Verbum apud Deum erat; et Verbum Deus erat. Hic erat in principio apud Deum, et omnia in eo facta sunt » [4]. Si igitur evangelista clamat omnia in Verbo facta esse, et Paulus hoc interpretatur et dicit: « Unus est Dominus Iesus Christus, in quo omnia facta sunt », constat Christum esse ipsum Deum ⌜super omnia [5]. Si vero adversarii voces Scripturarum contra nos citabunt in quibus homo vocatus est, Petri dicentis: « Iesum a Nazareth virum » [6], et Pauli dicentis: « In viro in quo Deus praefinivit ut crederemus » [7], et ipsius Domini nostri de se ipso dicentis: « Cur me occidere quaeritis virum? » [8], sciant se aut propter segnitiem suam ad Scripturae intellegentiam non pervenisse, aut propter malitiam suam id quod bene scriptum est secundum pravitatem suam pervertere. Etenim Christus vere homo factus est, sed factus est cum antea non esset, sed tantum Deus. Sicut enim Deus est increatus, ita * idem est revera homo, ⌜hypostatice et vere sine mutatione, et sine passione et [9] sine phantasia [10]. Nec corpus Domini nostri de caelo esse confitemur, et quicunque ita dicit excludimus; sed confitemur de Spiritu sancto *id esse*, et Altissimi potentia, quae in Virginem sanctam, Mariam Deiparam, illapsa sit. [11] Quod si Virgo Deum non peperit, neque admiratione digna est ea quae sine corruptione mansit. Quod si linguae prophetarum, cum mysterii nostri incomprehensibilitatem antea proclamaverunt, clamabant « En! virgo concipiet et filium pariet, et nomen eius vocabunt Emmanuel » [12] — quod est « Deus noster nobiscum », — quare genetricis eius gloriam praecidunt ⌜quia is qui natus est condescensionis modo [natus est] qui est Deus super omnia [13]? Sed

* p. 137.

* p. 138.

[1] BAR., III, 38. — [2] Cet. om. — [3] I *Cor.*, VIII, 6. — [4] IOH., I, 1-3. — [5] Gr. Λόγος; ita lat. et syrr. — [6] *Act.*, II, 22. — [7] *Ibid.*, XVII, 31. — [8] IOH., VIII, 40. — [9] Cet. om. — [10] φαντασία. — [11] In cet. nulla Eutychianismi mentio est, et textus a nostro valde discrepat. — [12] Is., VII, 14. — [13] Cet. om. Uncis inclusa in ms. exciderunt.

fortasse adversarii hoc contra nos dicent : « Quodcunque nascitur ei quae id peperit eiusdem est naturae. Si igitur ea quae peperit homo est, homo etiam necessario est qui natus est ». Bene dicitis, o socordes; sed tum proles ei quam dolores feriunt eiusdem est naturae, quando is qui nascitur secundum naturam progreditur. Partus vero naturalis corruptio est ab initio ; quoniam coitus etiam corruptionem antecedit. Qua autem hoc dedecus ne in cor quidem adscendit, sed miraculum factum est quod non exprimitur, qua partus extra naturam fit, ibi qui nascitur Deus est. Confitemur [igitur][1] * eundem esse qui mundos creaverit et νόμον dederit, et Spiritum etiam in prophetis dederit, et fine temporum, propter vitam et salutem hominum, incorporatus sit et homo factus, et ⌜*Spiritum apostolis* inspiraverit, eosque[2] in vitam populorum et gentium emiserit. Fugiamus igitur, fratres mei, turbidos erroris rivulos ; doctrinas dico cum Deo contendentes, hoc est, insaniam Arii qui Trinitatem dividit quae non dividitur, et audaciam Eunomii, qui naturam quae non comprehenditur sub scientia includit, et vesaniam Macedonii qui Spiritum sine discessu separatum[3] a Deitate separat, ⌜cum ceteris haereticis errore eorum perditis,[4] praesertim hanc doctrinam novam et blasphemiam fabricatam Nestorii[4], quae blasphemia sua Iudaeos multum exsuperat. Prisci[5] enim Filium qui ⌜ab aeternitate et a saeculo cum Patre suo[4] est infitiantur et radicem fructu eius spoliant ; ⌜doctores autem qui hodie *sunt*,[6] praeter eum qui ⌜ab aeternitate et a saeculo[4] *est*, ⌜qui propter salutem nostram homo factus est, doctrina sua[7] alium introducunt, *ita* ut naturam incorruptibilem ⌜et unicam quae ab uno *est*[7] multorum filiorum *patrem* constituant. Nos igitur cum Paulo dicamus « Christus est qui duo unum fecit »[8]. Iudaeos enim et paganos per baptismum in unum hominem novum creavit, et potentia sua id quod libertate sua divisum erat unum fecit. Timeant igitur sententiam doctores illi impietatis, quod, si id quod divisum erat in consociationem venit, Unus tamen qui duo unum fecit, quod ad eos attinet, divisus est. Sed iam multitudinem * verborum omittamus, et ad compendium verae doctrinae veniamus. Quisquis scire vult ipsum

*p. 139. — *p. 140.

[1] In ms. excidit ; e gr. et 14557 addidi. — [2] Cet. ‘ apostolos ’. — [3] Ita 14557 ; cet. ‘ procedentem ’. — [4] Cet. om. — [5] Gr. οἱ μὲν ; ita cet. — [6] Gr. οἱ δὲ ; ita cet. — [7] Cet. om. — [8] *Eph.*, II, 14.

esse solum revera Filium unicum, qui esset antequam fieret Abraham[1], qui idem fine temporum incorporatus sit, Paulum roget et ipse ⌜voce sua[2] tonabit dum iuste ostendit eum qui e Iudaeis in carne natus sit ipsum esse Deum qui a saeculo *est*. Cum enim Iudaeorum ingratitudinem, et populi cum Deo certationem diceret atque ostenderet, et radicem quae est Abraham[3] et semen quod est Christus Dominus noster, ita dixit : « Quorum fuit adoptio » — Deus enim per prophetas suos clamabat « Israel filius meus *et* primogenitus meus *est* et gloria mea »[4]; glorias enim immensas a crebris miraculis carpebant, et a διαθηκῶν[5] ad Abraham *factis* quae de populi multitudine et de benedictionibus indicabant, — « et legislatio » — quae in monte Sinai[6] *data est*, quae Dei digito scripta est, — « et promissa » — tum terra Palaestinae tum *promissum* in semine Abraham populos benedictum iri,[7] — « e quibus patres » — qui nocte erroris orti sunt, et ut stellae fidei, — « e quibus Iesus[8] Christus ⌜in carne apparuit qui est Deus super omnia[6] »[9]. Neque hoc tantum dixit et satis. Etenim neque e quo nativitas de Maria est, ex illo *tempore* est initium Dei Verbi, qui est sine initio, ⌜et sine fine[10]. Quis est igitur hic Christus ? qui a ⌜Patre ante saecula genitus est, quemadmodum mens creatorum non comprehendit, et fine temporum incorporatus est, et e Maria[8] Virgine ⌜Deipara homo factus est[11], qui ⌜in ventre * et[8] in spelunca contentus est ut ipse scit, qui in praesepio iacebat, qui carne crescebat, qui usque ad inferiora terrae descendit, et qui sponte omnes hominum passiones sustinuit, ut homo factus esse crederetur, neque alius est praeter eum qui descendit, sed idem est, qui descendit et qui adscendit. Non enim prius adscendit sed descendit ; non enim incremento factus est Deus — absit ! — sed dispensatione factus est homo ; hoc enim genus[12] hominum indigebat. Neve a me hoc

*p. 141.

[1] Ioh., VIII, 58. — [2] Gr. τὴν εὐσέβειαν ; ita lat. et 12156 : 14557 om. — [3] Ms. ‘ Pater ’ ; e ceteris correxi. — [4] *Ex.*, IV, 22. καὶ ἡ δόξα pars citationis ex ep. ad Rom. est, sed error in cod. gr. stetisse videtur. — [5] αἱ διαθῆκαι pars citationis est. — [6] Gr. lat. et 12156 om. — [7] *Gen.*, XXII, 18. — [8] Cet. om. — [9] *Rom.*, IX, 4, 5. — [10] Gr. ἀλλ᾽ εὐθὺς ἐπήγαγε τὸ κατὰ σάρκα, ἵνα ὑποσημαίνηται τὴν κατὰ σάρκα φανέρωσιν, ἀλλ᾽ οὐ κατὰ τὴν θεότητα γέννησιν. Ita cet. Hoc sensui necessarium est. — [11] Gr. γεννηθείς ; ita cet. — [12] γένος.

audiveris aut ab alio, sed a Petro et a Paulo, Petro cum dicit : « Tu es Christus Filius Dei vivi » [1], et Paulo item, qui revelatione de Filio a Patre didicit et dicit : « Cum voluit Deus, qui me a ventre matris meae segregavit, et me gratia sua vocavit, Filium suum per me revelare » [2]. Hic te vere docebit quis sit Iesus Christus, eo quod clamat et dicit : « E quibus Christus in carne, qui est Deus super omnia, benedictus in saecula saeculorum ». Quem calumniae aditum non expellit, eis qui calumniam amant, verbum ⌜Petri et [3] Pauli ! Dixit eum enim ‘ Christum ’ ut ostenderet eum hominem vere factum esse. Dixit eum ‘ qui a Iudaeis in carne fuit ’, ut ostenderet eum non e quo incorporatus sit ex illo *tempore* tantum esse. Dixit eum ‘ qui est ’, ut eum sine initio esse verbo suo nobis indicaret. Dixit eum ‘ qui super omnia est ’, ut eum *rerum* creatarum Dominum proclamaret. Dixit eum ‘ qui est Deus ’, ne propter σχῆμα et passiones ut naturam eius incorruptibilem negaremus induceremur. Dixit eum * ‘ benedictum ’, ut adoraremus ut omnitenentem, neve eum ut conservum aestimaremus. Dixit eum ‘ qui in saecula ’, ut ostenderet eius qui verbo suo omnia creaverit, ⌜quae videantur et quae non videantur, [3] in eis Deitatem glorificari. Habemus igitur Christum qui est Deus super omnia ; quem adoremus et ad haereticos dicamus, « Qui in se spiritum Christi non habet, hic eius non factus est. Nos enim mentem Christi habemus » [4]. Et idcirco « revelationem Dei Salvatoris nostri, Domini Iesu Christi, exspectamus » [5], qui ipse bonorum *operum* actoribus victoriae coronam retribuet, infitiatoribus vero audaciae eorum retributionem. ⌜Videte autem, fratres mei, [3] ne quis vos verbo impietatis spoliet, et [6] scientia falsa [7] vos a simplicitate et sinceritate purae pulcritudinis fidei pervertat. Sed rursus vobis verbum Pauli recito, « Videte ne quis vos philosophia vana traditionis hominum spoliet » [8], vanarum *rerum* inventorum [9], qui non ut docent prophetae et apostoli docuerunt, sed sapientia animae suae erraverunt, et post interpretationem mentis suae profecti sunt. Idcirco doctrina eorum Dei ecclesiae

* p. 142.

[1] MATTH., XVI, 16. Citatio et mentio Petri in cet. desunt. — [2] *Gal.*, I, 15, 16. — [3] Cet. om. — [4] *Rom.*, VIII, 9 ; I *Cor.*, II, 16. — [5] *Tit.*, II, 13. — [6] Haec in cet. aliter expressa sunt. — [7] I *Tim.*, VI, 20. — [8] *Col.*, II, 8. — [9] Cf. *Rom.*, I, 30. Pro seqq. ad ‘ emit ’ (p. 99, l. 1) habet gr. κ. οὐ κατὰ Χρ. ; ita cet.

offensa est, quam sanguine suo pretioso emit [1]. « Fundamentum enim aliud » fidei verae « nemo potest ponere, praeter id quod positum est » [2], ⌜unum esse Deum Patrem omnitenentem, et unum esse Dominum Iesum Christum, in quo omnia facta sint, qui ab aeterno et a saeculo cum Patre suo sit, de eo et eiusdem naturae, et unum Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem qui a Patre procedat, et cum Patre et cum Filio adoretur et glorificetur [3]. State igitur in uno spiritu et in una anima, * et pro fide contendite, « neve in ulla *re* ab eis qui ex adversa stant terreamini » [4] ; sed traditionem custodite quam a patribus nostris beatis accepistis [5], qui ex omni creatione congregati sunt, operatione Spiritus sancti, et fidem veram et immaculatam nobis proclamaverunt, quam a finibus terrae usque ad fines terrae habemus.

* p. 143.

EPISTULA QUAM SCRIPSIT BEATUS PROCLUS, EPISCOPUS CONSTANTINOPOLIS, AD ARMENIAM MAGNAM PERSARUM DE VERA FIDE FINITA EST.

Vixit autem Theodosius ut chronicon indicat annos L. Ex eis regnavit annos XLII, quoniam annos VIII natus regnavit. Et gesta triginta duorum annorum regni eius in *Historia* Ecclesiastica [6] Socratis narrata sunt ; et reliquorum decem annorum porro compendii modo in hoc libro II superius notata sunt. Mortuus est ergo Olympiade 308ª, et regnavit post eum Marcianus. Et anno 764, secundum computum Graecorum Alexandri, synodum DLXVII episcoporum Chalcedonem congregavit ; quorum gesta in hoc libro III infra exarato, et in capitibus quae in eo *sunt* quam brevissime scribemus, maximam partem ex opere Zachariae viri diserti qui id graece scripsit ad *virum* quendam Eupraxium vocatum, qui in domo regia habitabat, et in regis ministerio versabatur. Corpus vero sancti Iohannis episcopi Chrysostomi vocati ab ἐξορίας relatum est, * et Constantinopoli pompa honoratum. Et Eudocia regina, Theodosii uxor, Hierosolyma orationis causa profecta est et reversa, et deinde mortua est. Zirzericus [7] autem Carthaginem Africae expugnavit et in ea regnavit. Et Iohannes στρατηλάτης a servis Arebindi [8] occisus est ; et terraemotus passim fuerunt. Et deinde Theodosius mortuus est.

* p. 144.

[1] *Act.*, XX, 28 ; I PETR., I, 19. — [2] I *Cor.*, III, 11. — [3] Gr. ὅς ἐστιν I. Χρ. ; ita cet. — [4] *Philipp.*, I, 28. — [5] Reliqua in cet. discrepant. — [6] ἐκκλησιαστική. — [7] Sc. Gaisericus. — [8] Sic textus.

INITIUM LIBRI III, quasi ex opere Zachariae viri fidelis qui ad virum quendam Eupraxium nomine, militem [1], et in regis ministerio versatum graece scripsit, ea commemorat quae in synodo acciderunt quae post Theodosii mortem, diebus Marciani, Chalcedonem congregata est, anno 764 secundum computum Graecorum, episcoporum DLXVII quasi studio et epistula Leonis Romae ad regem et Pulcherchiam [2] uxorem eius *missa*, et Dioscorum Alexandriae Gangra Thraces [3] relegavit, et Pretorium [2] eius loco fecit, et Leonis epistulam quae Tomus vocatur accepit. Et cetera gesta quae Hierosolymis vel Alexandriae vel in aliis locis vita Marciani acciderunt, quae *est* sex anni et dimidium, en! separatim hic notata sunt, in libris his *duodecim* qui infra *sunt* et in capitibus quae in eis sunt [3]. Caput I ea docet quae in synodo Chalcedonis acciderunt, usque ad προσφώνησιν regis Marciani ad episcopos ibi *congregatos*. Caput II de Dioscori ad *urbem* Gangra ἐξορίας indicat, et Pretorii eius loco χειροτονίας, et eis *rebus* quae Alexandriae eius introitu acciderunt. Caput III ea docet *quae in Palaestina propter Iuvenalem Hierosolymorum facta sunt, qui cum promissa sua transgressus esset a Dioscoro separatus est, et synodo consensit; et, quod Hierosolymitae hoc audissent, et monachi Palaestini, Theodosium eius loco fecerunt, monachum quendam qui zelo [s]ynodo aderat et ad Palaestinam pervenit et quae Chalcedone acciderunt indicavit. Caput IV Petrum commemorat ὅμηρον filium regis Iberorum, qui a Gazensibus prehensus est et ad Theodosium Hierosolymorum adductus, qui eum fecit eis episcopum, virum mirabilem. Caput V de Theodosii Hierosolymorum a regis minis fuga indicium praebet, et de Iuvenali, qui cum exercitu Hierosolyma reversus est, cuius introitu multi occisi sunt. Caput VI de Samaritano quodam caeco nuntiat, qui sibi portionem sanguinis eorum qui occisi sunt illevit, cuius oculi aperti sunt. Caput VII indicat Christum visione Petro ibero Gazae apparuisse eique dixisse ut recederet et ipse etiam sponte expelleretur. Caput VIII de Salomone quodam monacho docet, qui dolum excogitavit et apud Iuvenalem Hierosolymorum intravit, et pulverem qui σπυρίδα complebat capiti eius iniecit eique increpavit. Caput IX indicat Theodosium Hierosolymorum prehensum esse, et in domo in qua esset calx inclusum, et in ea vitam finiisse. Caput X de haeresi Iohannis Rhetoris [1] *qui* ex Alexandria *fuit*, indicium praebet, eamque a Timotheo Alexandriae anathematizatam esse, qui post [Pretorium] [2] factus est episcopus. Caput XI, de Iohanne silentiario a rege Alexandriam misso. Caput XII de *Anthimo et Severo et Olybrio, et Leone iuniore indicat, et eo quod septem annis regni eorum accidit. Liber XIII de regno Marciani indicat, et de concilio episcoporum quod Chalcedonem venit, et eis *rebus* quae in concilio acciderunt usque ad regis ad episcopos προσφώνησιν. [3]

(* p. 145. * p. 146.)

[1] Sc. aulae (sensu civili). — [2] Sic textus ubique. — [3] Sic textus.

CAPUT I EIUSDEM LIBRI DE EIS REBUS QUAE IN SYNODO ACCIDERUNT INDICIUM PRAEBET, [QUASI] [4] EX OPERE VIRI CUIUSDAM CUI NOMEN ZACHARIAS, QUI GRAECE AD EUPRAXIUM ITA SCRIBERE INCIPIT.

Quoniam tibi acceptum ac gratum est, Christum amans Eupraxi, ut, dum in domo regia degis et in regis ministerio versaris, et id discas quod sanctae Dei ecclesiae Marciani regno accidit, et qui sint qui alius post alium Alexandriae et Romae et Constantinopoli et Antiochiae et Hierosolymis summi sacerdotes facti sint a tempore concilii Chalcedone *habiti*, quod quasi ob causam Eutychis haeresim Nestorii introduxit et auxit et universum orbem conturbavit et malis malum addidit, et duas haereses alteram alteri opposuit, et terram habitabilem discidiis implevit, et traditionem fidei apostolorum confudit, et ecclesiae εὐταξίαν, et tunicam Christi perfectam desuper contextam in myriadas fragmentorum scidit, igitur nos, dum duas has haereses anathematizamus, et omnem foedam doctrinam spuriam quae contra Dei ecclesiam surrexit, et contra [5] fidem orthodoxam trium synodorum sanctarum, quae * veram doctrinam perite custodierunt, historiam [6] quam nos *scribere* incitasti tunc adgrediemur. Postquam obiit sanctus Cyrillus Alexandriae, qui contra multas doctrinas spurias ἀγῶνα fecit easque detexit, thronum [7] post eum accepit Dioscorus vir pacabilis et ἀγωνιστής, quamquam etiam Cyrilli facilitatem et παῤῥησίαν non habebat. Hoc tempore Theodoretus et Hibhā, qui in synodo secunda quae propter

(* p. 147.)

[1] ῥήτωρ. — [2] Ms. om.; textus corruptus est. — [3] Sic textus. Caput I libri III hic iterum describitur. — [4] In ms. excidit; e praef. libri addidi. — [5] MICH. 'recipimus'. — [6] ἱστορία. — [7] θρόνος.

Eutychem et Flavianum diebus Theodosii Ephesi congregata est cum Flaviano Constantinopolis et Eusebio pulsi sunt, quia Theodoretus Cyrrhi duodecim reprehensiones in Cyrilli contra *Nestorium* κεφάλαια conscripsit, et Hibhā Edessae epistulam ad Māri Nisibis, in qua Cyrillum vituperabat, et ambo doctrinam Theodori et Diodori sustinebant, [1] Theodoretus ad Leonem Romae adscendit, eumque de omnibus *rebus* certiorem fecit; et dono quod [« oculos sapientum » ut dicitur] [2] « occaecat » [3] [, μᾶλλον] [2] oculos animae [omnis *hominis* qui ad id abripitur, et verbis *dolosis*] [2] *eum subiecit, [et ira* contra Dioscorum et ceteros episcopos veros implevit ;] [2] et epistulam ad Flavianum fecit quae Tomus vocatur, et quasi contra Eutychis doctrinam scripta est. Scripsit autem Leo et * Theodoretum regi Marciano benigne commendavit, et Pulcherchiae uxori eius, qui Nestorii doctrina delectabatur et ad eam inclinaverat. Et misit Nestorium ab ἐξορίας Oasis per Iohannem tribunum [4] vocaturus, et Dorotheum episcopum qui cum eo *erat* concivem Marciani [5]. Et accidit ut, cum reversus esset ut veniret, Virginem sanctam Deiparam irrideret, et diceret: « Quid, Maria? Num posthac Deipara vocaberis? ». Et statim rectum Dei iudicium ei supervenit, ut et Ario olim accidit qui in Filium Dei blasphemavit. Ergo de iumento cecidit, et Nestorii lingua secta est, et os eius vermibus scatuit, et in via mortuus est; et Dorotheus etiam qui cum eo *erat* mortuus est. Et, cum didicisset rex, contristatus est, et de eis *rebus* quae acciderunt meditabatur, et haesitabat. Verumtamen litterae regis Marciani Dioscoro et Iuvenali per Iohannem tribunum [4] datae sunt, quae eos ut congregarentur vocabant; et Iohannes de eis *rebus* quae Nestorio et Dorotheo acciderunt eos certiores fecit. Et, cum episcopi ex omni loco se parassent, qui ut Nicaeam convenirent primo vocati erant, πρόνοια eis non permisit, quoniam rex iterum mandavit, et Chalcedonem congregati sunt, ne * Nicaea apostatis locus congregationis fieret. Nestorii ergo fautores regem *instigaverunt*, dum ei auctores fiunt ut Theodoretus synodo adsidue praesideat, et cunctae res eius arbitrio in ea statuantur. Et, cum Chalcedonem coissent, intrabat

* p. 148. — * p. 149.

[1] Clausula aliter continuatur. — [2] In [illegible] deest; e Mich. addidi. — [3] *Deut.*, xvi, 19. — [4] τριβοῦνος. — [5] Nomen urbis Marcianopolis male intellexit auctor.

Theodoretus et in ea cum παρρησίᾳ degebat, ut episcopus honoratus; qui paulo ante sacerdotio per eos amotus erat. Et propter hanc arrogantiam qua vir usus est indignabatur atque iratus erat Dioscorus et episcopi nonnulli, nec, cum canones ab eo et ab Hibhā, opere vicariorum Leonis qui Roma *venerant* et eos adiuvabant, contemni viderent, propter regni potentiam impedire potuerunt. Et, cum Dioscorus fidei doctrinam in synodo proclamaret, et Iuvenalis qui cum eo *erat*, et Thalassius Cappadox, et Anatolius et Amphilichius [1] Sides, et Eusebius Ancyrae et Eustathius Byreti [2] — et cum eis et Eusebius Dorylaei quasi miraculo consensit, — qui doctrinam Nestorii duarum naturarum auxilio Iohannis Germaniciae confirmari et constabiliri viderunt, qui multum contra eos certabat qui disputatione ibi *facta* dicebant unam naturam incarnatam e duabus oportere nos Christum confiteri, ut ceteros patres, neque alienum quidquam innovare et fidei adicere, propterea Iohannes Germaniciae, et ceteri Nestorii adseclae, quibus praeerat Theodoretus, Dioscori καθαίρεσιν fecerunt quia dixit: « E duabus naturis aequum est ut Christum incorporatum esse credamus, neque oportet * nos duas post unionem confiteri similiter Nestorio » [3]. Et Anatolius porro urbis regiae episcopus verbis ita clamavit: « Propter fidem Dioscorus non amovetur, sed quoniam cum summo sacerdote Mār Leone non communicat » [4]. Et post multorum clamorem et ea quae dicta sunt, quae in πεπραγμένοις *synodi* ibi *congregatae* notata sunt, tandem episcopi coacti sunt, et Dominum nostrum Iesum Christum in duabus naturis definierunt, et Tomum Leonis laudaverunt, eumque columnam orthodoxam vocaverunt [5], qui duas hypostases et duas naturas, et proprietates atque operationes earum declarat. Et, cum haec ita *facta essent*, homines qui paulo ante, diebus beati Theodosii, in synodo secunda Ephesi *habita* — sacerdotes qui congregati erant — saepe clamaverunt: « Qui dicit duas naturas in duo seca » [6], vi flagitati sunt ut subscriberent. Et, cum per Iohannem principem silentiariorum Dioscoro nuntiarent ut his *rebus* adsentiretur et subscriberet et thronum [6] suum reciperet, animose dicit: « Si sanguis

* p. 150.

[1] Sic textus ubique. — [2] Sic ubique. In Cod. Theod., VII, xiii, 11, et passim, nomen in aliquibus codd. 'Byrito' vel 'Byritho' scr. est. — [3] Mansi, VI, 692. — [4] Id., vii, 104. — [5] *Ibid.*, 113. — [6] Id., VI, 637. — [7] θρόνος.

manuum eius in chartam [1] fluet statim abscisarum, hoc non faciet Dioscorus ». Et ob hanc *causam* Gangra in ἐξορίαν pulsus est, quoniam Nestorii fautores de eo adfirmant eum sicut Eutychem censere. Et idoneum mihi visum est, multis expositionibus eius praetermissis, quae loquebatur ac scribebat tum ad Domnum Antiochiae, tum in synodo ipsius Chalcedonis, *p. 151. quae de viri fide testificantur, *fidem eius ut Athanasium [2] et Cyrillum [2] et ceteros doctores [2] fuisse, hic [etiamsi pauca] [3] ex eis rebus exscribere quae ab ἐξορίας ad Secundinum scripsit, dum ita dicit [4] : « Ut e *rebus* necessariis multa praetermittam, haec nota facio, ne quis dicat corpus sanctum quod e Maria Virgine per Spiritum sanctum adsumpsit Dominus noster, ut ipse novit, corpori nostro alienum et extraneum fuisse. Et, cum hoc ita sit, Paulum mendacem faciunt qui dicunt Christum corpus nostrum non sumpsisse, quoniam dixit « Non ab angelis cepit, sed a semine domus Abraham » — cui Maria haud aliena erat, ut Scripturae nos docent, — et « Oportebat eum in omnibus rebus fratribus suis similari » [5] ; et qui in omnibus rebus *similis est* nostrae naturae nihil omisit, quoniam nervis, et crine, et ossibus, et venis, et ventre, et corde et renibus, et iecore et pulmone, et, ut *cuncta* simul dicamus, ex omnibus *rebus* quas nos possidemus constitit caro anima praedita Salvatoris nostri qui e Maria cum hac anima rationali atque intellegente natus est, sine semine viri et voluptate ac concubitu somni. Si enim haec non ita acciderunt, ut effutiunt haeretici, quomodo frater noster nominatus est, si corpore nostro *corpori* alieno usus est ? et quomodo rursus verum *p. 152. est quod Patri suo dicit : ' *Nomen tuum fratribus meis notum faciam ' [6] ? Talia sentientes ne a nobis repellamus et respuamus. Factus est enim nobis similis propter nos apud nos, non phantasia [7] et simulacro, secundum haeresim Manichaeorum, sed μᾶλλον veritate, e Maria Deipara. Ortus est nobis [ut] [8] voluit, et quia ad nos pervenit vas quod fractum erat renovavit, et *ut* Emmanuel agnitus est, qui propter nos pauper factus est,

[1] χάρτης. — [2] Sic syr. — [3] In ms. excidit ; e MICH., addidi. — [4] Haec (in ep. Timothei Alex. citata) in Add. 12[illegible], f. 49 v°, alia vers. syr. exstant. Aliunde haec ep. incognita est. — [5] *Hebr.*, II, 16, 17. — [6] *Ps.* XXI, 23. — [7] φαντασία. — [8] In ms. decidit.

secundum verbum Pauli, ut nos humiliatione [1] eius divites fieremus [2]. Dispensatione nobis similis factus est, ut nos misericordia eius ei similes fieremus. Homo factus est, neque id quod natura ad eum pertinet Dei Filium esse perdidit, ut nos Dei filii gratia fieremus. Haec sentio ac credo ; et, si quis non ita sentit, fidei apostolorum alienus est ». Et, cum in hac confessione ab initio vitae versaretur hic vir apostolicus, amotus est et in ἐξορίαν pulsus, quia imaginem duorum vultuum quae a Leone et concilio Chalcedonis statuta est adorare noluit, et quia cum Theodoreto et Hibhā qui propter blasphemias suas pulsi erant sese non consociavit. Fertur autem eum, cum tempore quodam Theodoretum vidisset in throno [3] in concilio sedentem loqui, *p. 153. neque *ut virum sacerdotio canonice amotum defensionem stantem facere, ipsum a throno [3] surrexisse, et in saxo consedisse, et dixisse : « Cum malis non consedi, et cum stultis non intravi » ; et ob hoc clamavisse Theodoreti fautores : « Ipse se amovit » ; ceteros autem episcopos clamavisse : « Fides perit [4]. Si Theodoretus recipitur, qui Nestorii adsecla est, Cyrillum eicimus [5] » ; et tunc surrexisse Basilium episcopum Traianopolis [6] et dixisse : « Theodoretum ipsi amovimus » [5]. Ferunt autem Amphilichium ut subscriberet verberibus in capite caesum esse ab Aetio diacono, qui noctu ad Theodoretum profectus est, et σύμβολον duarum naturarum ei exaravit. Et, postquam ab episcopis acceptum est, eique adsensi sunt, superbe se gerebat Theodoretus eosque irridebat et dicebat : « Quid ? Ius fermenti doctrinae Nestorii eos gustare feci, eoque delectati sunt ». Eustathius Byreti ubi subscripsit σημείοις scripsit : « Haec vi scripsi absque adsensu ». *p. 154. Et multum flebat is et alii qui vim proclamaverunt et *fidem studii personarum detexerunt ; quoniam principes συγκλήτου disputationibus subinde aderant et synodo intererant, et postremo ipse rex et Pulcherchia uxor eius, qui in martyrio Euphemiae προσφωνῆσαι fecit ita : « E quo ab initio electi sumus et a Deo regno digni aestimati sumus, inter curam negotiorum δήμου nulla res nos se implicari fecit, sed ut fidem veritatis christianorum honoraremus et hominum animas pure in ea adsuefaceremus elegimus,

[1] MICH., et 12156 ' paupertate '. — [2] II *Cor.*, VIII, 9. — [3] θρόνος. — [4] MANSI, VI, 589. — [5] *Ibid.*, 592. — [6] Ms. et MICH. ' Tripolis ' ; ex Actis correxi ; ita Chabot ad MICH..

variatione doctrinarum falsarum e medio sublata, et opinionibus quae cum probata patrum doctrina non consentiunt. Quare synodum hanc sanctam convocavimus ut omnem caliginem purgaret et sordem rationum removeret ut sic ratiocinatione pura fidei doctrina *quae* in Domino nostro Iesu Christo *est* stabiliretur » [1]; et cetera. Talia cum rex προσφωνῆσαι fecisset, episcopi eum et σύγκλητον laudaverunt, et epistulam Leonis, de qua adfirmabant eam cum fide Petri apostoli esse consonam [2].

CAPUT II DE ἐξορίας DIOSCORI INDICAT ET PRETORII EIUS LOCO χειροτονίας ET CAEDIBUS QUAE EIUS INTROITU FACTAE SUNT ET SUMPTIBUS QUOS IN ROMANOS FACIEBAT QUI EUM ADIUVABANT EX OPIBUS QUAE IN ECCLESIIS *ERANT*, QUAE AD PAUPERES PERTINEBANT.

Cum synodus huiusmodi finem accepisset, Dioscoro confessori interdictum est, et relegatus est ut Gangris habitaret, et eius loco constitutus est * Alexandriae Pretorius ; qui presbyter cum eo erat, et antea multum contra synodum certabat, sed, ut sedem sibi arriperet, proditor factus est, ut Iudas, magistri, et ut Abessalom, patris. Et lupus rapax in grege apparuit, et multos opprimebat et iniuriis adficiebat ut ei inviti adsentirentur, et in ἐξορίαν relegabat, et bona eorum auferebat, per rectores qui regis mandato ei parebant ; *ita* ut ob hanc causam [summi sacerdotes] [3] et sacerdotes et monachi et δήμου magna pars, cum fidem deformatam esse perciperent, et Dioscori depositionem iniquam, et Pretorii audaciam et improbitatem eius, privatim in monasteriis congregarentur, et ab eo separati sint, et Dioscorum proclamarent, et nomen eius in libro vitae scripserint, ut Dei sacerdotem probatum ac fidelem. Et Pretorius turbatus est, et in manum Romanorum [4] pretium dedit, eosque in populum armavit et manus eorum sanguine hominum fidelium qui occisi sunt implevit ; qui et ipsi infremuerunt et pugnam fecerunt, et multi ea mortui sunt, in sacrario et in baptisterio, qui aufugerunt et refugium ceperunt.

*p. 155.

[1] MANSI, VII, 132. — [2] *Ibid.*, 113. — [3] In mss. excidit ; e MICH. addidi. Summi sacerdotes sunt fortasse episcopi relegati. — [4] Sc. ‘ militum ’.

CAPUT III QUOD DE EIS *REBUS* DOCET QUAE IN PALAESTINA FACTA SUNT, PROPTER IUVENALEM HIEROSOLYMORUM, QUI PROMISSA SUA VIOLAVIT ET A DIOSCORO SEPARATUS EST ; ET MONACHI ET HIEROSOLYMITAE A THEODOSIO QUODAM MONACHO DIDICERUNT, QUI ZELO * CHALCEDONE ADERAT, DUM EA QUAE ACCIDERUNT SCRUTATUR, [ET] [1] HIEROSOLYMA VENIT ET *EA* INDICAVIT, EUMQUE EPISCOPUM LOCO IUVENALIS VI FECERUNT.

*p. 156.

Et in Palaestina talia mala et peiora facta sunt ; qua autem causa dicam. Cum Iuvenalis Chalcedonem vocatus esset, et regis voluntatem a Iohanne tribuno [2] didicisset, et Nestorium mortuum esse, qui ut adscenderet vocatus esset, dum ab ἐξορίας revertitur, quoniam Iuvenalis de foeditate doctrinae quae in Tomo *continetur* persuasum habebat, quae Nestorii opinioni favet, clericos convocavit, et monachos ac populum congregavit, et hanc doctrinae fraudem detexit eamque anathematizavit, et animas multorum in fide vera confirmavit, et omnes iussit, si in synodo mutaretur, secum non amplius communicare. Et ab initio quidem, ubi cum Dioscoro advenerat, ἀγῶνα magnum pro fide fecit ; quoniam autem regni ἀνάγκη premebat, et blanditiae et illecebrae, quod rex ad mensam ipse episcopis ministrabat et humilitatem eis ostendit, et se in honorem sedis Hierosolymorum tres provincias Palaestinae daturum promisit, tunc oculos rationum suarum obscuravit, et Dioscorum ἀγωνιστὴν solum reliquit, et a parte adversa stetit, et iuramenta per Deum *facta* sprevit, et adsensus est et subscripsit ipse et episcopi qui cum eo *erant*. Et, cum haec didicisset Theodosius monachus et qui cum eo *erant*, qui ei haerebant * et quae in synodo *facta sunt* zelo scrutabantur, statim ad Palaestinam reversi sunt, et Hierosolyma venerunt et fidei proditionem indicaverunt. Et cunctos monachos convocaverunt et certiores fecerunt, et congregati sunt et se accinxerunt, et Iuvenali ubi advenit occurrerunt eumque promissorum eius commonuerunt eumque reum factum esse ; et hoc ab eo rogabant, ut ea quae acciderunt reprehenderet et anathematizaret. Is vero Pilatum imitatus est eo quod dixit : « Quod scripsi scripsi » [3]. Et dixerunt ei monachi : « E quo iuramenta tua ac promissa violasti te iam non accipiemus ». Et is ad regem reversus est. Conventus

*p. 157.

[1] In ms. excidit. — [2] τριβοῦνος. — [3] IOH., XIX, 22.

autem monachorum et clericorum Hierosolyma redierunt, et populum et episcopos qui cum eis *erant* congregaverunt, et deliberabant quidnam facerent; et consilium inierunt ut alium episcopum eius loco crearent. Et, cum de verecundis Romano et Marciano monachis verba facerent, et aliis viris mirabiliter eximiis, 5 tandem placuit ut Theodosium crearent, qui acer inventus erat, et ante annos pro fide certaverat; eumque vi comprenderunt, dum detrectat et adiurat et orat ut eum ei quem constituturi sint adiutorem esse sinant; neque obtemperaverunt, eumque consecraverunt et throno[1] imposuerunt. Et, cum didicissent ceterae 10 urbes Palaestinorum, quoniam hunc virum virtute florentem sciebant, et veritatis studiosum, nonnullos ad eum adduxerunt quos eis consecraret et sacerdotes faceret.

* p. 158. *CAPUT IV DE PETRO IBERO INDICIUM PRAEBET QUOMODO IS ETIAM A GAZENSIBUS COMPRENSUS SIT, ET AD THEODOSIUM ADDUCTUS SIT 15 ET FACTUS EIS EPISCOPUS.

Inter hos erat etiam Petrus iberus, vir mirabiliter in orbe celeber, regis filius, qui Theodosio ὅμηρος datus erat, et ab eo amabatur, et ab Eudocia uxore eius propter mores suos eximios; et in domo regia educatus erat, et equis regiis praepositus, 20 munus autem deposuit et sese exercitio in Christo dedit, ipse et Iohannes eunuchus, sponsor eius baptismi et pater ex aqua et Spiritu. Et prospere se gesserunt et Deus signa per eos Constantinopoli fecit; et inde effugerunt, et ad desertum Palaestinae profecti sunt, et monachismum dilexerunt ac coluerunt. Et, cum 25 ita celari vellent, valde celebres facti sunt, et ut apostoli signa fecerunt. Et, cum a loco in locum migrarent, ad regionem Gazae et Maiumae pervenerunt; et exierunt viri et mulieres et multitudo omnium aetatum, et Petrum corripuerunt, et Hierosolyma ad Theodosium duxerunt, quem imploraverunt ut eum eis episcopum 30 faceret. Et is culpis multis sese culpabat et detrectabat, et invito eo manum capiti eius imposuit eumque consecravit, quoniam virum cognoverat. Et, cum agitatus esset, haereticum se vocabat; et paulisper cunctatus est Theodosius eique dixit: « Iudicium inter me et te coram βήματι Christi est ». Et verbum suum 35

[1] θρόνος.

revocavit et dixit: « Haereticus quidem non sum, sed peccator ». Et Theodosius, qui virum cognitum habebat, eum Gazensibus sacerdotem consecravit. Erant vero * alia *opera* eximia a viro * p. 159. facta, quae ne sermonem producam omitto.

5 CAPUT V DE FUGA THEODOSII HIEROSOLYMORUM A REGIS MINIS DOCET, ET DE IUVENALI QUI CUM EXERCITU ROMANORUM REVERSUS EST, CUIUS INTROITU MULTI OCCISI SUNT.

Et, cum Theodosius his ***rebus*** prospere se gereret, fama omnium ***rerum*** quas operabatur a Marciano rege audita est; et 10 Iuvenalis reversus est adiuncto comite Dorotheo et exercitu, qui Theodosium adprehenderet et in vincula coniceret, et omnem episcopum quem in dicione sua fecerat relegaret, et monachos ac populum puniret, eosque ob causam arrogantiae et audaciae expelleret, quod Theodosium Hierosolymis episcopum fecerant; 15 tantum Petrum iberum Gazae, propter reginae deprecationem, relinqueret, etiamsi cum ceteris episcopis communicare nollet. Et, cum Neapolim pervenisset, tum monachos multos ibi invenit, et initio blanditiis cum eis utebatur, hominibus simplicibus quorum arma et galea fides vera erat et opera integritatis, 20 eosque orabat ut cum eo consociarentur; et, cum hoc aspernati essent, nisi quae Chalcedone vi effecta erant anathematizaret, dicebat: « Regis voluntas est »; et detrectabant. Et Romanis ac Samaritanis mandavit, eosque feriebant et occidebant, dum canunt et dicunt: « Deus, populi haereditatem tuam intraverunt, et 25 templum tuum sanctum polluerunt, et en! Hierosolyma vastitatem faciunt »[1]. Et Romanorum alii * misericordia superabantur et * p. 160. flebant; alii autem cum Samaritanis monachos multos occidebant, et sanguis eorum in terram effusus est.

CAPUT VI DE SAMARITANO QUODAM CAECO INDICIUM PRAEBET, QUI 30 FIDE ADPROPINQUAVIT ET PORTIONEM SANGUINIS EORUM QUI OCCISI SUNT OCULIS SUIS ILLEVIT ET APERTI SUNT.

Samaritanus vero quidam caecus eum a quo ducebatur fefellit, et dixit: « Quoniam oculi mei sanguinem caedis horum christianorum non vident, ut eo delecter, fac 'me' adpropinquare et

[1] *Ps.* LXXVIII, 1.

tangam ». Et, cum eum adpropinquare fecisset et tetigisset eum, manus suas adspersit, et in terra adoravit; et flevit dum precatur et orat ut martyrii eorum socius fiat. Et surrexit et portionem sanguinis eorum oculis suis illevit; et manus ad caelum elevavit, et aperti sunt et visum accepit. Et qui haec perceperunt admirati 5 sunt et in Deum crediderunt; caecus etiam baptizatus est. Qui autem regis mandato serviebant eos quos vivos reliquerant adprehenderunt eosque ex omni dicione [1] expulerunt.

CAPUT VII, DE EO QUOD DOMINUS NOSTER PETRO IBERO GAZAE APPARUIT ET DIXIT EI UT CUM EXPULSIS RECEDERET. 10

Ferunt vero Petrum celebrem in quiete fuisse, a nullo depulsum, propter regis mandatum, et reginae pro eo curam; vidisse autem Dominum nostrum in visione indignanter ei dicentem: « Quid, Petre? *Num* ego in servis meis fidelibus expellor, et tu sedes et quiescis? » Et Petrus paenitentia actus paruit; et 15 surrexit et Gazam reliquit, et cum expulsis fuit et recessit.

* p. 161. *CAPUT VIII DE SALOMONE QUODAM MONACHO ACRI DOCET, QUI DOLUM EXCOGITAVIT ET APUD IUVENALEM INTRAVIT, UT AB EO BENEDICTIONEM ACCIPERET, ET PULVEREM QUI σπυρίδα COMPLEBAT CAPITI EIUS INIECIT EIQUE INCREPAVIT. 20

Et, cum Iuvenalis cum παρατάξει exercitus Romanorum fideles et monachos qui in χώρᾳ *erant* expulisset, et Hierosolyma pervenisset, et throno insedisset, nec promissa sua et caedes quae introitu eius acciderunt et periurium suum curasset, monachus quidam nomine Salomon, σχήματι honorato verecun- 25 diae *vestitus,* spiritu suo agitatus est, et quasi a summo sacerdote benedictionem accipere vellet dolum excogitavit, et σπυρίδα pulvere et cinere complevit, et alae suae subiecit, et Iuvenali adpropinquavit; et eius ad se introitu gavisus est. Et, cum eum recepisset, dicit ei Salomon: « Benedicat dominus meus ». Et, 30 cum Romani eum adpropinquare et prope ad eum accedere sivissent, pulveris σπυρίδα deprompsit, eamque in caput eius evacuavit; et dixit: « Ignominia, ignominia adfectus es, periure ac persecutor ». Et, quando eum ferire voluerunt, Iuvenalis haud

[1] Sc. patriarchatu.

permisit; nec perturbatus est, sed ob hoc paenituit eum, et caput suum excussit; et monachum a facie eius eiecerunt. Et mandavit ut ἀνάλωμα ei daretur, et a regione recederet. Is vero non accepit, sed recessit.

5 CAPUT IX INDICIUM PRAEBET QUOMODO, CUM THEODOSIUS A ROMANORUM EXERCITU QUAERERETUR, ET PREHENSUS SIT ET IN DOMO INCLUSUS IN QUA CALX ERAT, ET TANDEM MORTUUS SIT.

Theodosius *autem, cum regis διατάγματι per totam ὑπαρχίαν [1] * p. 162. quaereretur, Romanorum σχῆμα cepit, et in capite crines et ga-
10 leam; et circumibat et stabiliebat, dum fideles confirmat. Tandem vero, cum ad Sidonis viciniam pervenisset, a noto quodam suo prehensus est et Romanis traditus. Et taliter contra eum furore commoti sunt Nestorii adseclae, quod per totam terram habitabilem, cum circumiret, doctrinae eius fraudem detegebat et
15 anathematizabat. Et ad regem adscenderunt, eumque oraverunt ut vir eis ad custodiendum daretur; et ceperunt eum et in domo quadam parva monachorum incluserunt, in qua *erat* calx viva. Et Nestorii adseclae per catervas veniebant et cum eo disputabant, cum putarent ob angustias magnas fore ut eum
20 paeniteret et voluntati eorum adsentiretur; et cunctos vincebat et pellebat, et pudore confusi ac turbati a praesentia eius recedebant. Et dicebat: « Quamdiu halitus in naribus meis *est,* etiamsi vinctus sum quominus per regiones secundum consuetudines meas circumeam, Dei tamen verbum in me non vinctum
25 est, sed veritatem et sinceritatem in aures auditorum proclamat ». Opinabantur autem et Eutychis fautores eum eis adsentiri; et ei etiam ad eum confluebant, et cum eo disputabant; et similiter insperato eis ostendebat eos Valentino et Māni et Marcioni adsentiri, et haeresim eorum foedam esse, et *haeresibus* Pauli
30 Samosateni et Apollinaris et Nestorii foediorem. Itaque et hi et illi a praesentia eius recedebant ab eo superati. * Et, quoniam ei * p. 163. angustias angustiis addebant, et anima eius in ἀγῶνι constantissima erat, in notitiam eius venerunt et ea quae scripsit Iohannes Rhetor [2] ex Alexandria, quae fraudis et detrimenti
35 plena sunt, et haeresis sunt; et vir eam detexit et anathe-

[1] Requiritur ἐπαρχίαν. — [2] ῥήτωρ.

matizavit. Et, cum cursum suum consummasset et in ἀγῶνι certasset, et fidem suam custodisset [1], tandem *vita* in carcere finita obiit, et ad Christum Dominum nostrum recessit, et fidelibus exemplum confirmationis reliquit.

CAPUT X HAERESIM IOHANNIS RHETORIS [2] QUI ALEXANDRIAE *ERAT* COMMEMORAT, QUOMODO ACCIDERIT ET ANATHEMATIZATA SIT. 5

Iohannes Palladio sophistae alexandrino haerebat, eique secundus erat, et ob hoc Rhetor [2] vocatus est, quoniam ab *arte* sophistica ad rhetoricam philosophus nomine appellatur (?). Hic diebus Pretorii, qui Dioscoro successit, totam urbem Alexandrinorum, 10 hos quidem fidei zelo, hos autem quia rapinam et persecutionem ab eo patiebantur ut synodo adsentirentur et Tomum acciperent, Pretorium odio habere vidit; et ipse etiam multis placere studuit, et famam adquirere et aurum colligere, et gloria hac vana laudari. Et, cum Scripturas sanctas non legeret, nec vim mysteriorum 15 quae in eis *sunt* intellexisset, nec doctoribus antiquis ecclesiae sanctae exercitatus esset, cum quid diceret et de quibus rebus contenderet [3] ignoraret, inflatus est ut quasi argumentum scriberet Deum Verbum *ut* semen in corpore crassum factum esse, et natura sua passum esse, si passus esset. Negat vero eum 20 *p. 164. corpori humano adunatum esse, nec naturas e quibus * unus Christus apparuit confitetur, sed verba parat et carpit : « Neque etiam fieri potest ut natura vocetur, quandoquidem sine semine viri in Virgine incorporatus est » ; et dicit « Ergo neque in ea et ex ea » ; neque ecclesiae doctoribus adsensus est qui 25 dicunt Deum Verbum naturam humanam sibi adunasse et hominem factum esse. Et talia vana verba effutiebat, et scripta sibi contraria scripsit, interdum quidem Apollinari adsensus, interdum autem Eutychi, interdum autem aliquid novum [4]. Et, quoniam ille dubitabat de eis *rebus* quas scribebat ne reprehen- 30 derentur, cum nomine suo libros suos non scripsit, sed interdum nomen Theodosii episcopi Hierosolymorum huic inscribebat, et interdum nomen Petri iberi alii inscribebat, ut fideles etiam eis deciperentur et eos acciperent. Dicunt vero tempore quodam Petrum iberum unum eorum in monasterio quodam repperisse nomine 35

[1] II *Tim.*, IV, 7. — [2] ῥήτωρ. — [3] I *Tim.*, I, 7. — [4] Sic syr.

suo inscriptum ; et, cum cepisset et legisset, ira commotum esse, et eum qui composuit et eum qui scripsit anathematizasse. Neque ibi tantum, sed Alexandriae etiam, itemque in Palaestina, et in Syria, is et Theodosius scripta huius viri anathematizaverunt [1].

[1] Haec in opere contra Iulianistas scripto in Add. 12155, f. 125 v°, de ZACH. citantur et a Wright (*CBM*, p. 940) edita sunt, sed de gr. textu sumpta esse videntur. Citatio, quam hic exscribo, summatim data est, sed nonnulla continet quae in nostro desunt.

ܗܢܐ ܪܗܛܘܪܐ: ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܬܠܡܝܕܐ ܕܦܠܐ ܣܘܦܝܣܛܐ
ܐܠܟܣܢܕܪܝܐ. ܘܒܝ̈ܘܡܘܗܝ ܕܦܪܘܛܪܝܘܣ: ܗ̇ܘ ܕܒܬܪ ܕܝܘܣܩܘܪܘܣ
ܐܪܬܕܘܟܣܘ: ܘܕܟܠܗ̇ ܡܕܝܢܬܐ ܐܝܟ ܕܠܐܠܟܣܢܕܪ̈ܝܐ ܠܘܩܒܠ
(Ms. ܕ̈ܠ) ܦܪܘܛܪܝܘܣ ܡܬܬܚܪܐ: ܐܬܬܠܝܛ ܡܢ ܡܫܝܚܐ
ܣܦܝܩܐ ܘܠܒܪܬܐ: ܘܢܦܩ ܥܡܗ ܡܢ ܐܪܬܕܘܟܣܘ. ܘܐܝܟ
ܡܢ ܕܐܝܬܘܗܝ ܡܣܦܝܣܛܐ: ܒܪ ܠܐ ܝܕܥ ܟܬܒ̈ܐ ܥܕܬܢ̈ܝܐ ܐܠܗܝ̈ܐ
ܕܝܠܝܬܐ: ܘܠܐ ܝܕܥ ܐܝܠܝܢ ܕܐܡܪ: ܘܠܐ ܐܝܠܝܢ ܕܥܠܝܗܘܢ
ܡܬܚܪܐ: ܘܐܬܚܬܪ ܠܘܩܒܠ ܐܝܟ ܗܘܦܘܬܣܝܣ ܕܢܟܬܘܒ: ܕܐܠܗܐ ܡܠܬܐ
ܗܘܐ. ܘܒܟܝܢ ܡܢ ܠܗܠܝܢ ܕܐܦܘܠܝܢܪܝܘܣ: ܒܟܝܢ ܕܝܢ ܠܗܠܝܢ
ܕܐܘܛܘܟܐ ܢܦܩ. ܘܬܘܒ ܒܟܝܢ ܘܠܚܘܕܐ ܚܕܬܐ ܡܥܒܕ. ܘܐܡܪ
ܕܐܠܗܐ ܡܠܬܐ ܐܬܓܫܡ ܒܪܚܡ. ܘܠܐ ܡܬܚܫܒܐ ܗܘܐ ܥܒܕܗ
ܠܐ ܡܬܚܫܒܢܘܬܗ. ܐܠܐ ܡܬܚܫܒܢ ܗܘܐ ܕܥܒܕ̈ܘܗܝ ܕܐܢܫܐ
ܪܘܚܐ ܢܫܝܡ ܒܠܚܘܕ. ܕܬܐܘܕܘܣܝܣ ܪܫܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܕܐܘܪܫܠܡ: ܘܕܦܛܪܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܗܘ ܐܒܪܝܐ: ܘܕܡܠܦܢ̈ܐ
ܐܚܪ̈ܢܐ. ܐܡܪܝܢ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܥܡ̈ܕܐ ܢܦܩܢ ܠܩܕܡܝܐ. ܚܕ
ܕܝܢ ܡܢ ܦܛܪܐ ܠܝܘܚܢܢ ܡܢ ܕܝܪܐ: ܘܣܒܗ (Ms. ܣܒ̇ܗ") ܠܗ
ܡܐܡܪܐ ܕܟܬܝܒ ܥܠ ܫܡܗ ܕܦܛܪܐ. ܘܟܕ ܩܪܝܗ ܐܬܚܡܬ
ܪܘܒܐܝܬ: ܘܐܚܪܡ ܠܗܘ ܕܐܬܟܬܒܗ. ܘܠܐ ܐܝܬܘܗܝ
ܕܠܗ ܒܠܚܘܕ ܡܢ ܗܠܝܢ. ܘܒܟܬܒܐ ܘܠܐ ܒܟܬܒܐ: ܐܚܪ̈ܢܐ
ܡܠܦܢܘܬܐ ܐܚܪܡܗ. ܒܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܘܒܦܠܣܛܝܢܐ. ܐܚܪܡܗ

CAPUT XI QUOMODO IOHANNES SILENTIARIUS A REGE MISSUS SIT ALEXANDRINOS ADMONITURUS POSTQUAM DIOSCORUS GANGRIS MORTUUS EST UT PRETORIO ADUNARENTUR.

Cum autem Alexandrinis de Dioscoro auditum esset eum obdormiisse, dolor magnus fuit ac tristitia; et post mortem 5 eius, ob suum erga eum amorem, ut vivum eum proclamabant, et in diptycho nomen eius positum erat; sed nemo eorum quibus ea quae ordinis accuratione non fiunt vituperare curae est reprehendat. * Qui vero partis fidelium *erant* episcopum eius loco facere voluerunt, et Marciani regis minas timuerunt, qui 10 litteras in omnes partes, et comminationes contra eos qui synodo non adsentirentur nec Tomum acciperent emittebat; qui, ita, cum de Alexandrinis quibusdam audisset eos episcopum sibi post Dioscori mortem facere paratos esse, Iohannem silentiariorum principem cum litteris suis misit Alexandrinos ut Pretorio 15 adunarentur admoniturum. Et hic Iohannes vir fuit qui regi

* p. 165.

ܕܝܢ ܘܐܦ ܛܝܡܬܐܘܣ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪ̈ܝܐ. ܘܗܠܝܢ ܟܠܗܘܢ ܡܚܘܐ ܙܟܪܝܐ ܒܐܩܠܣܝܣܛܝܩܝܬܐ ܕܝܠܗ: ܟܕ ܡܟܬܒ ܬܫ̈ܥܝܬܐ ܥܕ̈ܬܢܝܬܐ ܕܒܬܪ ܣܘܢܗܘܕܘܣ ܕܟܠܩܝܕܘܢܐ ܗܘ̈ܝ. « Iohannes Rhetor Palladii sophistae Alexandrini discipulus erat; et temporibus Protorii *(sic)*, cum orthodoxorum persecutionem vidisset, et universam urbem ut *ita* dicamus contra Protorium certare, ob vanam gloriam et lucrum concupivit, et sese cum orthodoxis commiscuit, et, quandoquidem sophista erat, cum divinis ecclesiae doctrinis non exercitatus esset, nec sciret ea quae dicebat neque ea de quibus contendebat, et patribus sanctis contrarius staret, libros multos composuit, et nunc quidem Apollinaris *opinionibus* adhaesit, nunc autem Eutychis, necnon interdum doctrinam novam reperit, et Deum Verbum essentialiter passum esse dicit. Nec nomen suum operibus inscribebat, sed nomina magnorum quorundam eis imponere audebat, Theodosii archiepiscopi Hierosolymorum, et Petri episcopi iberi, et aliorum doctorum, ut ob haec nomina simplices deciperet. Accidit vero ut Petrus monasterium quoddam intraverit, et tractatum 'Petri' inscriptum ei dederint; et, cum eum legisset, vehementer exclamavit, et qui eum scripsit anathematizavit, et nihil harum *rerum* eius esse *(sic)*. Et scripto et sine scripto eum saepe anathematizavit, Alexandriae et in Palaestina. Anathematizavit eum vero et Timotheus episcopus Alexandrinorum. Et haec omnia indicat Zacharias in Ecclesiasticis suis, dum narrationes ecclesiasticas synodo Chalcedonis posteriores conscribit ». In eodem opere (124 v°*b*, 125 v°*a*) duae de Ioh. citationes datae sunt, quarum prior in tit. Timotheo adscripta est.

eadem sentiebat et sollers erat. Et, cum advenisset et [illegible] monachos multos verecundia et sermonis facilitate, et [illegible] pro fide *facienda insignes*, et δῆμον hominum fidelium potentem, quibuscum res ei fuit, perculsus est et dixit : « Si Dominus noster 5 volet, regem docere eique de vobis suadere paratus sum ». Et δέησιν ab eis accepit quae de fide eorum docebat, et omnibus *rebus* quae per Pretorium eis acciderunt, et de viri improbitate et iniuriis, et sumptibus quos ex ecclesia ultro expendit, verbis prolixis quae hic exscribere praetermitto, ne lectorem taedio 10 adficiam. Et, cum Iohannes ad regem reversus esset, eumque de his *rebus* docuisset, dixit ad eum : « Nos quidem te misimus ut Aegyptiis admonitione usus suaderes ut voluntati nostrae obtemperarent; tu autem absque voluntate nostra ad nos reversus es, cum te Aegyptium invenerimus ». Verumtamen, cum de eis *rebus* 15 quae de Pretorio in petitione quam miserunt monachi scriptae essent intellexisset, audaciam eiusdem viri et malitiam eius reprehendebat. Et cum ipse in his *rebus versaretur* mortuus est, cum sex annos et dimidium regnasset. Mortuus est autem et Maiorianus qui cum eo annos quattuor regnavit, et post eum * regnum 20 acceperunt Anthimus et Severus et Olybrius, et post annum unum cum eis Leo primus, ut sit vita quattuor eorum anni septem.

* p. 166.

CAPUT XII DE ANTHIMO ET SEVERO ET OLYBRIO ET LEONE DOCET, QUI ALIUS CUM ALIO SEPTEM ANNOS ORDINE REGNAVERUNT.

25 Cum regnasset Anthimus annos quinque, a Ricimere occisus est; et Severus cum annum unum cum eo regnasset mortuus est; et Olybrius qui post Severum cum Anthimo unum annum regnavit mortuus est, et Leo primus cum tres annos cum Anthimo regnasset et post eum duo. Anno autem 1° Leonis 30 Antiochia terraemotibus qui acciderunt eversa est, et fuit incendium magnum. Et anno 2° regni eius SWLYPWS[1] tyr[illegible] Gothus occisus est. Et anno 3° regni eius occisus est A[illegible] στρατηλάτης, et filii eius.

Est autem in libro hoc III, et in capitibus quae in eo supra 35 sunt χρόνος annorum tredecim et dimidii ita :

[1] Conic. Krüger et Ahrens 'Aiulfus' (HYDATIUS, 180, 187).

Marciani [et] [1] Maioriani anni sex et dimidium ; et Anthimi et Severi et Olybrii et Leonis primi qui ordine et alius cum alio regnaverunt anni septem ; quandoquidem ab anno 3° Olympiadis 305ae incepit, et Olympiade 308a finitus est.

Item liber IV quasi ex eodem opere Zachariae diserti ea quae 5 post mortem Marciani et Maioriani et Anthimi et Severi et p. 167. Olybrii *gesta sunt* (et omnes, * ut chronicon indicat, annos duodecim regnaverunt), capitibus duodecim quae in eo *sunt* quae infra separatim notata sunt, ea docet et indicat quae Alexandriae et Ephesi per annos viginti diebus Leonis et Leonis 10 acciderunt de χειροτονίας Timothei magni, qui vocabatur 'mustela', et quomodo occisus sit Pretorius, qui post Dioscorum a synodo Chalcedonis factus est, et post mortem eius clericos eius libellos [2] Timotheo dedisse, et ut ad ecclesiam venirent rogasse, nec sacerdotes acres qui cum eo *essent* et δῆμον eis permisisse, 15 et ob hoc Romam se contulisse, et Leonem docuisse ; *eum*que epistulas ad Leonem regem fecisse Timothei χειροτονίαν reprehendentes. Docet vero etiam de Timothei ad Leonem epistula, quae additamentum in synodo *factum* et Tomum reprehendebat, itemque de Iohanne qui Ephesi Bassiano successit qui sese 20 abdicavit, et de Leonis regis litteris encycliis, qui episcopis scripsit ut ei scriberent quid de eis quae in synodo definita sunt censerent ; et scripserunt et laudaverunt praeter Amphilichium [3] Sides ; et Timotheum Gangra relegatum esse, et Gangris Chersonem; et a fautoribus eiusdem Pretorii factum esse post eum 25 Timotheum qui 'φακιολίου trementis' vocaretur ; necnon de Isaia episcopo et Theophilo presbytero, qui *ut* eutychianistae apparuerunt, et de epistula quam Timotheus de eis fecit eosque detexit.

Caput I de Timothei magni qui vocabatur 'mustela' χειροτονίας indicat, et eis quae acciderunt. 30

Caput II ostendit quomodo Pretorius occisus sit et tractus, et cadaver eius igne crematum sit.

* p. 168. Caput III docet, * postquam Timotheus solus exstitisset episcopus, ceteros etiam Pretorii clericos per libellos [2] ad ecclesiam 35

[1] In ms. excidit. — [2] λίβελλοι. — [3] Sic semper.

venire voluisse, nec [δῆμον] [1] eis permisisse, nec clericos acres qui cum Timotheo *essent*.

Caput IV indicium praebet hos viros, postquam haud recepti essent, se accinxisse et Romam adscendisse, et *rem* Leoni summo 5 sacerdoti indicasse.

Caput V de Timotheo commonet et eis quae Ephesi Iohanni acciderunt qui Bassiano successit.

Caput VI de Timothei δεήσεως ostendit itemque reprehensione quam in ea de Leone et de epistula eius regi scripsit.

10 Caput VII de eis docet quae episcopi Leoni regi scripserunt quae in encycliis *sunt* quod ad synodum, et de Amphilichio qui in eis quae scripsit ceteris episcopis non adsensus est.

Caput VIII de Anatolii ad regem epistula indicat, ipsum episcopos adhortatum esse quid de synodo scriberent.

15 Caput IX de Timothei ἐξορίας adnuntiat, et de eis quae eius ab *urbe* Alexandria exitu acciderunt.

Caput X de Timotheo alio ostendit qui a Pretorii fautoribus episcopus factus est et 'φακιολίου trementis' vocabatur.

Caput XI indicat quomodo Gangris Chersonem deportatus sit 20 Timotheus.

Caput XII, de Isaia et Theophilo Eutychianistis, et de epistulis quas de eis scripsit Timotheus eosque detexit.

In hoc libro autem est χρόνος temporis ex annis Leonis primi, anni duo vel tres, et anni Leonis alterius, anni septemdecim, 25 duobus mensibus deductis, ut chronicon indicat ; quoniam duo annos plus * minus Timotheus magnus Alexandriae episcopus * p. 169. fuit, et tunc Gangra relegatus est, et, post duodeviginti annos, ad sedem suam reversus est, et statim mortuus est.

LIBER IV DE TIMOTHEI χειροτονίας, ET DE EIS QUAE DIEBUS 30 LEONIS REGIS PRIMI ACCIDERUNT ET LEONIS ALTERIUS.

CAPUT I LIBRI IV QUOD DE TIMOTHEI MAGNI QUI VOCABATUR AELURUS χειροτονίας DOCET, ET EIS QUAE ACCIDERUNT.

Cum κατάστασις ecclesiae Alexandriae ita se haberet, subito fama audita est mortuum esse Marcianum ; et omnes confirmati 35 sunt, et cum universo ordine monachorum deliberabant quemnam

[1] In ms. deest; e p. 116, l. 15, addidi.

a parte fidelium episcopum facerent; quoniam hoc tempore Dionysius στρατηγὸς ibi non erat, sed in Aegypto [1] degebat. Et de Timotheo cogitaverunt, viro ieiunatore et πρακτικῷ [2], qui a Cyrillo e deserto vi adductus erat et presbyter consecratus, et fidem Dioscori participavit, et in omni veritate fidei doctorum ecclesiae versabatur. Hunc populus Alexandrinorum itemque monachi corripuerunt, eumque ad ecclesiam magnam quae vocatur Καίσαρος adduxerunt. Et secundum ordinem canonum ex episcopis tres desiderabant qui eum consecrarent; et, quoniam duo *p. 170. Aegyptii aderant, alium etiam * inveniri oportebat. Et, cum hunc quaererent, nonnulli e δήμου de Petro ibero didicerunt qui, cum a Palaestina recessisset, ibi Alexandriae degebat. Et raptim occurrerunt et virum corripuerunt, eumque super humeros suos portaverunt, ut terram non tangeret. Et, cum eum adducerent, vocem quemadmodum Philippus de eunucho Candacis reginae [3] audierunt; [et] [4], consensu cleri et monachorum et urbis populi fidelis, vi eum invitum consecraverunt, et in throno [5] Marci collocaverunt. Et corpore debilis erat ob ascesim multam; *ita* ut propter maciem eius 'mustelam' eum iocandi causa vocare solerent Pretorii fautores. Et, cum Dionysius στρατηγὸς ea quae acciderant didicisset, quod putavit fore ut, ubi rex auditurus esset, reprehenderetur quod duo essent in urbe episcopi, cum advenisset, universum Romanorum exercitum duxit, et Timotheum adprehendit, et multi occisi sunt. Et mandavit ut eum ad locum qui vocatur Qabhrsirin [6] portarent. Et, cum abiisset, civium contra Romanos pugna invalebat, et στάσις crescebat, et erant cottidie caedes; presertim quod Romanos qui vocantur QRTDWN [7], qui iracundi erant et ariani, instigabat eisque minabatur; et similiter qui ecclesiae bonis praeerat ea in Romanos expendit, et cum δήμῳ certabant. Accidit autem ut pars magna eorum et mulieres eorum pugna ceciderint et trucidati sint; et ipsi alii contra alios divisi sunt, et certamen fecerunt. Et, cum huiusmodi tumultus urbem aliquot dies tenuis- *p. 171. set, Dionysius coactus est et Longinum adduxit, * monachum

[1] EVAGR. II, VIII (de ZACH.) τὴν ἄνω Αἴγυπ... — [2] Sc. 'miraculorum actore'; cf. V, IX; VI, III. — [3] *Act.*, IX, 29. — [4] ... excidit. — [5] θρόνος. — [6] Syrus Ταπόσιριν ut 'sepulcrum Sirin' male intellexit. — [7] Legendum fortasse 'PDRṬWN' (φοιδεράτων).

quendam verecundia et virtute celebrem, et Timotheum ei commisit ut eum rursus ad urbem et ad ecclesiam eius reduceret ea condicione ut contentio desineret et caedes quiescerent. Et, cum Timotheus ad ecclesiam magnam reductus esset, e qua vi remotus erat, et Pretorius ecclesiam quae vocatur Quirina [1] occupasset, et tempus azymorum advenisset, pueri innumeri baptizandi ei oblati sunt, ut ob multitudinem eorum ei qui nomina eorum scribebant et legebant fessi sint, et Pretorio quinque tantum oblati sunt; et δῆμος Timothei amore magis delectatus est, ut eum etiam e Quirini ecclesia expulerint, et caedes factae sint.

CAPUT II OSTENDIT QUOMODO PRETORIUS OCCISUS SIT ET PER URBEM TRACTUS ET DENIQUE CADAVER EIUS IGNE CREMATUM SIT.

Et, cum Pretorius Romanis comminaretur qui ab eo aurum accipiebant, nec manus suas sanguine replebant eisque iratus esset, Romanus quidam anima infremuit, et indignatus est, et dum Pretorium vocat ut corpora occisorum iacentia conspiciat eique ostendat gladium subito clam distrinxit, eumque per costas transfodit cum Romanis sodalibus suis eumque occiderunt. Et eum ad Tetrapylum trahebant, et de eo nuntiabant, « Hic Pretorius est »; et alii insidias dolosas esse putabant. Et Romani cadaver eius reliquerunt et discesserunt. Et, cum hoc intellexisset, δῆμος etiam infremuerunt, et cadaver traxerunt, et in Hippodromo igne cremaverunt. Huiusmodi finis mortis Pretorio accidit, qui Alexandrinos male tractavit, ut Georgius arianus, et illius exemplo ab eis passus est, et ei factum est.

* CAPUT III POSTQUAM TIMOTHEUS SOLUS EXSTITISSET EPISCOPUS CETEROS ETIAM CLERICOS PAENITENTIAE MODO PER LIBELLOS [2] EI ADUNARI VOLUISSE NEC PERMISISSE δῆμον NEC SACERDOTES ACRES QUI CUM EO ESSENT.

*p. 172.

Timotheus autem, cum Alexandriae summus sacerdos solus exstitisset, factis ostendit qualem sacerdotem esse oporteat; et argentum aurumque, quod diebus Pretorii Romanis dabatur, in pauperes et viduas et hospitium peregrinorum expendit, et in eos qui in urbe egebant; ita ut brevi tempore, cum eius pulcra

[1] Sic. — [2] λίβελλοι.

gesta percepissent, divites quidam οὐσίας ei obtulerint dilectione et amore et aurum et argentum. Presbyteri vero et clerici qui cum Pretorio *fuerant*, qui cunctas virtutes eius et mores angelicos sciebant, et civium erga eum amorem, coniuncti sunt, et libellos[1] fecerunt, eumque ut reciperentur oraverunt; et promiserunt se Romam ad Leonem iter facturos eumque de eo quod in Tomo innovavit ac scripsit commoniturus, eo [quod][2] hi viri prompti erant et diserti et divitiis abundabant, et honore, et genere[3] nobiles erant, et a Cyrillo ad clerum vocati erant, et apud filios Romae honorabantur. Et Eustathius Byreti[4], cum petitionem pro eis scripsisset, Timotheo obtulit, ut reciperentur. Sed invidia civium et odium contra viros ob ea quae diebus Pretorii acciderant crevit, et propter horum aerumnas diversas ut viri reciperentur non permiserunt, sed alios paraverunt qui clamarent: « Nemo eorum huc pedem feret, nec recipientur transgressores ».

*p. 173. * CAPUT IV INDICAT QUOMODO HI VIRI SE ACCINXERINT ET ROMAM ADSCENDERINT ET QUAE EIS ACCIDERANT DOCUERINT.

Hoc causa fuit cur res subverterentur et turbarentur. Cum enim hi viri contempti essent et non recepti, Romam pervenerunt, et Pretorii mortem terribilem indicaverunt et contemptum canonum; [et][2] eum propter synodum et Leonis honores mortuum esse; et se ipsos contumelias multas sustinuisse; et Timotheum contra νόμον exstitisse et sacerdotium accepisse. Et rem apud Leonem odiosam ac turpem reddiderunt, eumque in Timotheum concitaverunt.

CAPUT V EA DOCET [QUAE][2] DE TIMOTHEO *GESTA SUNT* ET QUAE EPHESI IOHANNI ACCIDERUNT QUI BASSIANO SUCCESSIT.

Quomodo autem Timotheum diffamandi occasio facta sit referam. Postquam Marcianus rex mortuus est et Anthimus et Severus et Olybrius per brevem annorum vitam in Italia et regionibus superioribus regnaverunt, hic Leo primus cum eis et post eos in regione Europae regnum accepit, vir fidelis quidem et potens, fide autem simplex. Et, cum mala quae in Aegypto facta erant, itemque Alexandriae et in Palaestina et ubique

[1] λίβελλοι. — [2] In ms. excidit. — [3] γένος. — [4] Vide p. 103, n. 2.

didicissent, multi propter synodum turbati sunt. Et Ephesi etiam multae caedes factae sunt Iohannis introitu postquam Bassianus sese abdicavit et fugit ne Chalcedone subscriberet. Iohannes vero sedis eius urbis iura atque honores prodidit, quod principatum appetiit, quem usque hodie Ephesi proditorem vocant, *et cuius nomen libro vitae eraserunt. Voluit ergo rex Leo qui a Timotheo Alexandriae litteras accepit synodum congregare; eumque impedivit Anatolius urbis regiae episcopus, non quod ea quae a Timotheo scripta sunt reprehendere potuit, sed commotus est, ne, si synodus congregaretur, omnia quae Chalcedone acta sunt abolerentur, non propter fidem, sed propter iura et honores quae sedi urbis regiae contra νόμον data sunt. Suasit ergo Anatolius regi ne synodum congregaret, sed *ut* per epistulas litterarum quae vocantur encyclia de synodo et de Timothei χειροτονίας episcoporum sententiam exquireret. Et de Timotheo et de synodo Chalcedonis epistulis encycliorum episcopis scribere incepit ita: « Sacerdotes in dicione nostra *viventes* qui eadem sentitis, absque timore hominum, et absque partium studio, et absque fraude porro et favore, Dei timore solum ante oculos vestras posito, eo quod vos ei soli defensionem facturos et responsum daturos reputatis, id quod vobis placet mihi breviter indicate, ea quae Chalcedone acta sunt perscrutantibus, et de χειροτονίας Timothei Alexandriae ». Et, epistulis huiusmodi regis Leoni Romae datis, Leoni regi duas epistulas scripsit, unam de Timotheo, et aliam pro Pretorii fautoribus, in qua de clericis Constantinopolis etiam indicabat eos Timothei opinionem participare, et Anatolium segnem vocabat[1]. Et *de Tomo etiam qui ab eo propter Eutychem factus erat, qui in concilio Chalcedonis receptus est, defensionem fecit. Verumtamen de Christi inhumanatione etiam in hac quoque epistula similia distincte scripsit[2]; quam Leo rex ad Timotheum Alexandriae misit; et, cum eam recepisset, regi δέησιν scripsit huiusmodi.

CAPUT VI QUOD IN TIMOTHEI δεήσει FIDEM EIUS INDICAT, ET REPREHENSIONES QUAS IN LEONIS EPISTULAM FECIT.

« Quoniam hominibus prudentibus, rex tranquille ac serene, nihil honoratius est anima, sed et quae corporis sunt contemnere

[1] Ep. CLVI, VI (*P. Lat.*, LIV, 1132). — [2] Ep. CLXV (*ibid.*, 1155).

didicimus, neque animae detrimentum facere [1], idcirco etiam quantum valeo animam meam custodire studeo, ne ante tempus iudicii ut amans corporis sui condemner, et ipse in me ignem gehennae parem. Et hoc puto cunctos prudentes pulcre velle, id quod fratribus eorum odiosum est non accidere ; et hac de *causa*, 5 dum hanc petitionem scribo tranquillitatem tuam certiorem facio me a pueritia mea Libros sanctos didicisse et mysteria divina quae in eis sunt considerasse, et usque adeo fidem veram mihi semper curae esse, secundum [doctrinam et][2] traditionem apostolorum et patrum meorum doctorum. Dum his gratia Dei Salvatoris nostri 10 haereo, ad hanc aetatem perveni, et unam fidem confiteor quam Salvator et Creator noster Iesus Christus tradidit, quando inhumanatus est et beatos apostolos misit et dixit : « Ite docete omnes populos, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti » [3]. Trinitas *enim perfecta est et unius gloria et beatitu- 15 *p. 176. dine naturae, in qua nihil est minus aut maius. Ita enim et beati patres CCCXVIII docuerunt, et de vera incorporatione Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi eum inhumanatum esse quemadmodum ipse dispensationem suam cognovisset ; et haec cum eis sentio ac credo, et omnes qui in fide veritatis florent. Nihil enim difficile in 20 ea est nec definitio praedicationis fidei patrum nostorum sanctorum additamento eget ; et qui haec non sentiunt sed haeresi corrupti sunt a me respuuntur, et ipse etiam eos fugio. Morbus enim qui animam perdit est doctrina Apollinaris, et Nestorii blasphemiae, et qui [4] de incorporatione Iesu Christi qui a nobis incarnatus est 25 errant, et divisionem in dualitatem in eam introducunt, et dispensationem etiam unici Filii Dei scindunt, et ei porro qui dicunt de corpore id e caelo adsumptum esse, vel Deum Verbum mutatum esse, vel in natura sua passum, neque eum corpori humano atque animali e nobis *adsumpto* adunatum esse confitentur. Et eis qui in 30 unam ex his haeresibus inciderunt dico : ‘ Valde erratis, et Scripturas nescitis ’ [5], neque eorum societate utor neque eos ut fideles diligo ; et fidei Nicaeae *editae* adhaereo eamque teneo, et ut veritatem aestimo et ita mihi curae est *ut* vivam. Cum vero Diomedes clarissimus silentiarius ad me pervenisset, atque epistulam episcopi 35 Romae mihi dedisset, et eam perscrutatus sum, et quae in ea *sunt*

[1] MATTH., XVI, 26. — [2] In ms. deest ; e MICH. addidi. — [3] MATTH., XXVIII, 19. — [4] Sic syr. — [5] ID., XXII, 29.

mihi non placuerunt ; et, ne ecclesia turbetur, o Christi amans, usque [adeo] [1] eam coram eis non legi aut reprehendi. Credo autem *Deum serenitatem tuam in eam mentem impulsurum ut quae in *p. 177. hac epistula fidelibus offensam faciunt corrigantur, quoniam 5 Nestorii doctrinae adhaerent et adsentiuntur et propinqua sunt qui condemnatus est quia incorporationem Domini nostri Iesu Christi in naturas et hypostases et proprietates, et nomina et operationes scidit ac divisit, et verba Scripturarum de duobus interpretatus est ; quae in fidei confessione trecentorum duode- 10 viginti non sunt. Unicum enim Filium Dei qui Patri suo connaturalis est descendisse proclamaverunt et incarnatum esse et inhumanatum et passum, et surrexisse et in caelum adscendisse, et venturum ut vivos ac mortuos iudicaret, neque in eo [2] naturas et hypostases et proprietates commemoraverunt et diviserunt, sed 15 divina et humana in dispensatione unius esse confessi sunt. Ergo eis quae Chalcedone acta sunt non adsentior, quoniam in eis divisionem ac discidium in dispensatione inveni. Et nunc, o rex victor, accipe me, quod pro veritate haec confidenter loquor, ut imperium tuum in caelo etiam sicut in terra floreat. Et petitionem 20 meam clementer accipe quoniam has ab occidente litteras momentum offensae pervadit, quae dispensationem scindunt ; et oro ut omnibus linguis infirmentur ut pure confessio fiat Christum Deum revera in carne passum esse, et sine passione in Deitate sua mansisse, quam cum Patre et Spiritu habet. Et caput tuum 25 honoratum oro atque imploro ut ad omnes mittatur *mandatum* ut patrum nostrorum CCCXVIII fidei definitionis confessionem teneant, quae brevitate *verborum omnibus ecclesiis veritatem *p. 178. proclamat, et cunctam haeresim et fraudem doctrinarum offensae infirmat, nec correctione eget. Sed quae mihi in hac epistula 30 corrigi debere videntur » — quae non exscripta sunt — « sunt haec ». Et, quoniam fuse et cum χρήσεσι contra se *citatis* dicta sunt, ea hic non exscripsimus, ne lectorem taedio adficiamus ; quoniam reprehensiones a fidelibus ubique reperientur quae in ea a prudentibus factae sunt ; et primo a Dioscoro, et post eum ab 35 hoc Timotheo, et post eum a Petro, et ab Aksĕnāyā *episcopo* Mābbugh et a Severo diserto summo sacerdote Antiochiae in eis

[1] In ms. excidit. — [2] Ita MICH. ; ms. ‘ eis ’.

quae contra Grammaticum *scripsit*, et a Cosma[1] et a Simèone *archimandrita* Lĕghine[2], et epistula Alexandrinorum[3].

CAPUT VI FINITUM EST.

CAPUT VII QUOD EA ETIAM INDICAT QUAE CETERI EPISCOPI PRAETER AMPHILICHIUM SIDES LEONI SCRIPSERUNT; [QUI][4] SECUNDUM SYNODI 5 DOCTRINAM ADFIRMAVERUNT EIQUE ADSENSI SUNT.

Timotheus autem de Leonis epistulis et de synodo Chalcedonis talia confidenter scripsit. Ceteri vero episcopi metropolitani ubique *positi*, cum regis litteras encyclias accepissent, ea quae ab eis Chalcedone facta sunt adfirmaverunt, eisque adsensi sunt, 10 et Timothei χειροτονίαν reprehenderunt; Leo autem Romae episcopus eum Antichristum nominabat. Ferunt vero ceteros etiam episcopos adhortatione Anatolii et litteris eius ad eos *scriptis* ut haec scriberent incitatos esse. Solus autem Amphili- *p. 179. chius Sides veritate ac rectitudine sine timore usus est; * et 15 ipse et episcopi dicionis eius confidenter scripsit[5] et quae in synodo facta sunt et Tomum[6] reprehendit[5] et vituperavit[5]; et de vi et partium studio quod ibi fuit docuit, cum citationibus et verbis copiosis e sanctis Scripturis et patribus *extractis*, dum regem implorat ut quae Chalcedone *facta sunt* infirmentur, 20 quoniam 'causa offensae fidelium itemque perturbationis sunt'. Verumtamen Timothei χειροτονίαν reprehendit, eamque haud canonice factam *dixit*[7]. Hic quidem, cum de synodo regi talia cum veritate confidenter adfirmasset, ob malitiam et dolum qui ei a Nestorii fautoribus factus est, quippe qui ipse solus e cunctis 25 episcopis synodum ac Tomum, et quae in ea facta sunt vituperare ausus esset, in κίνδυνον pervenit, nisi Aspar στρατηλάτης illius temporis, quamquam et arianus erat, tamen eum[8] orasset ac rogasset, ne huiusmodi sacerdos, qui veritatem loquebatur, in κίνδυνον veniret; itaque Amphilichius e κινδύνου liberatus est. 30 Rex autem, cum mala quae diebus Marciani acta sunt corrigere quaesisset, ab episcopis impeditus est; propter quos de Timotheo etiam sententia data est ut Gangra in ἐξορίαν relegaretur. De eo

[1] Vide VII, x. — [2] Sc. 'lagenae'; cf. VIII, v (p. 80 textus), et X, praef. — [3] MANSI, VII, 536 (?) — [4] In ms. excidit. — [5] Sic syr. — [6] Ms. 'in Tomo'. — [7] Huius ep. excerpta a Mich. (p. 251) data sunt inter res e nostro sumptas. Forsitan a scriba om. sint (vide praef. in textum, p. IV). — [8] Sc. imperatorem; cf. p. 155, n. 2.

vero quod Anatolius qui Constantinopoli erat episcopis etiam causa fuerit ut haec in encycliis regi adfirmarent ex hac epistula quam infra excripsi, quam regi scripsit, disces.

CAPUT AUTEM VIII DE ANATOLII EPISTULA AD REGEM DE 5 SYNODO *SCRIPTA* INDICAT, EUM EPISCOPOS INCITASSE * ET AD EOS *p. 180. SCRIPSISSE[1].

« Fideli et Christi amanti regi victori Augusto Leoni αὐτοκράτορι Anatolius episcopus Constantinopolis. Opus orationis mihi est, Christi amans fidelis rex ». Et post pauca dixit: « Quae 10 Alexandriae praesumpta sunt mihi ut quiescerem non permiserunt, sed maiestatis vestrae voluntatem pacificam sequens, quae canones patrum nostrorum vult non contemni, sed et νόμους stabiliri, ut me oportebat virum sacerdotem huius regiae vestrae urbis, haec et sacro summo sacerdoti Leoni et verecundis metro- 15 politanis in imperio vestro *constitutis* indicavi, dum canones ploro qui Timothei actis pravis contempti sunt, ut ὑπομνήματα quae ad maiestatem vestram de eo missa sunt indicaverunt; qui ecclesiae et mundi νόμους conculcavit et arrogantiam dilexit ut dixit Scriptura, ' Impius etiam ubi in profunditatem malorum 20 incidit contemnit '[2] ». Et cetera quae in epistula eius *sunt*, ita ut ex hoc intellexerimus, eum episcopis causam fuisse cur in litteris suis ad regem *scriptis* eis quae in synodo acta sunt adsentirentur. Et multi e συγκλήτου et civibus ab Anatolii societate se separaverunt cum haec de eo didicissent.

25 CAPUT IX DE ἐξορίας TIMOTHEI, ET DE EIS QUAE EXITU PORRO EIUS AB *URBE* ALEXANDRIA ACCIDERUNT.

Quoniam autem regis πρόσταγμα de Timothei exitu Alexandriam mittitur, hoc tempore στρατηγὸς etiam ob hoc turbabatur et operam dabat * ut multa pateretur, neve urbs sacerdotem *p. 181. 30 hunc amitteret; [et][3] cum caedes videret quas ei Pretorii fautores minabantur, praesertim quod apud regem confugerant et a cunctis episcopis adiuvabantur, consilium cepit idem Stilas στρατηγὸς ad baptisterium ecclesiae magnae confugere, ipse et episcopus, duarum *rerum* causa: unius ut ipsi conservarentur, 35 et alterius ne hominum perditionis et caedium occasio fierent.

[1] Latine ap. MANSI, VII, 537. — [2] *Prov.*, XVIII, 3. — [3] In ms. excidit.

Et, cum Timotheus ad fontem baptismi confugisset, clerici Pretorii fautores viri sacerdotium et verecundiam et senectutem et ascesim et labores non honoraverunt, nec locum porro ad quem confugerat, sed summum sacerdotem ab ipso fonte cum exercitu abripuerunt et abstraxerunt. Et, cum hoc δήμῳ auditum esset, plus quam decem milia ibi occidebant[1], ut sacerdotem ab eis abriperent. Et, cum Romani multos Alexandrinos mactarent, vir [cum Romanis][2] ex Aegypto in Palaestinam deportatus est et exiit, *ita* ut iter eius iuxta mare Phoenices esset. Cum vero urbes Palaestinae et Παράλου[3] et incolae earum audissent, adpropinquabant ut sanctificarentur et aegri inter eos per Dei gratiam quae viro adhaerebat morbis suis sanationem lucrarentur, et vestium eius *partes* rapiebant ut fragmenta pannorum ex eis *sumpta* eis amuleta fierent. Et, cum Byretum[4] pervenisset, Eustathius episcopus cives adhortatus est, [et][2] cum cantico [ei occurrerunt][2]; et, cum urbem intrasset, ei pro urbe supplicabat ut pro ea oraret. Et in media urbe stetit, et pro ea precatus est et Deum oravit * et urbi benedixit. Porro autem Auxonius ipsius Eustathii frater, qui illo tempore νόμων interpres erat, quasi consilio fratris sui totam noctem apud eum mansit, dum de fide et contra Nestorium integre loquitur; et per haec omnia Timotheus silebat, et ea audiit. Et, cum Auxonius vix post multa tacuisset, dixit ei Timotheus : « Quis mihi persuadebit ut hi tres digiti mei in χάρτῃ Chalcedonis scribant ? ». Et, cum audisset Auxonius, contristatus est, e vit. Et eius et Eustathii fratris eius qui postea adfuit confirmandorum usa dixit eis Timotheus : « Sequimini me, et simul pro fide ἀγῶνα faciamus, et vincamus; ut aut sedes nostras recipiamus, aut ab adversariis expulsi in ξενίᾳ cum Deo sincere habitemus ». Et praetextum arripuit dedicationis ecclesiae quam aedificaverat Eustathius templi magni quam vocavit Anastasiam. Et dixit Timotheus : « Si dedicationem templi in terra *siti* exspectamus, [Hierosolymis supernis expellemur :][2] sed si mihi parebis Hierosolymis quae in caelo *sunt* festum celebrabimus ». Et Timotheus per totam viam usque Gangra ita honorabatur.

* p. 182.

[1] Locus vix sanus. Vult, ut videtur, dicere XM civium a militibus occisos esse. Coniec. Chabot ܡܠܚܡ (incumbebant); sed Mich. idem habet. — [2] In ms. deest; e MICH. addidi. — [3] Sc. Phoenices Maritimae. — [4] Vide p. 103, n. 2.

CAPUT X DE TIMOTHEO ALIO OSTENDIT, QUI A PRETORII FAUTORIBUS EPISCOPUS FACTUS EST QUI VOCABATUR 'φακιολίου VACILLANTIS'.

Pretorii autem fautores quoniam regis πρόσταγμα habebant et urbis rectores mandato oboedientes virum quendam e se elegerunt qui et ipse * Timotheus vocabatur 'φακιολίου vacillantis' eumque in throno collocaverunt. Et erat vir δημοτικός, et moribus humilis erat et factis debilis, ut ostenderunt ea quae acciderunt. Cum vero universus urbis populus ecclesiam reliquisset et in monasteriis congregarentur cum clericis fidelibus, hic non indignabatur neque infremebat. Et, ubi clerici eius populum exercitu Romanorum cohibere voluerunt, ipse non permisit. Accidit autem ut mulier quaedam ei occurrerit quae filium suum portabat a fidelibus modo baptizatum qui secundum morem pompa vehebatur. Et qui ante eum *ibant* mulieri irati sunt; et mandavit ut eam pacate ei adpropinquare facerent; et puerum cepit, eumque osculatur, et matrem eius adhortatus est ut, si qua *re* indigeret, eam sumeret. Et comitibus suis dixit : « Hi christiani *sunt*, et nos. Omnis homo ut vult credat, et Dominum nostrum honoret ». Verumtamen, etiam cum haec faceret, civium iram non placavit, et sine Romanis non ambulabat metu eorum quae Pretorio acciderunt. Et, quanto Timotheum fidelem diligebant, ita etiam hunc odio habebant, nec desinebant clamare et regem orare ut Timotheus ab ἐξορίας eis redderetur. Ferunt vero de hoc 'φακιολίου vacillantis' eum Alexandrinis persuadere studuisse ut eius societate uterentur, et quasi synodum eiceret Dioscori nomen in diptycho scripsisse; et Leonem Romae, cum audisset, eum prohibuisse. Et tempore quodam, cum Constantinopolim adscendisset, contra Gennadium qui post Anatolium factus est episcopus coram rege magnam contentionem habuit, et dixit « Synodum non accipio quae sedem tuam post * Romae secundam faciat, et meae honorem contemnat ». Et risit rex cum eos vidisset et duo sacerdotes de principatu contendentes audisset. Et hanc quaestionem scripsit *et episcopo* Romae notam fecit; et scripsit illo tempore : « Iura unicuique sedi reddantur ut antiquitus »; et regi hoc indicavit. Et Timotheus hic φακιολίου vacillantis ita *fecit*.

* p. 183.

* p. 184.

LIBER[1] X FINITUS EST.

[1] Sic.

CAPUT XI, QUOMODO GANGRIS CHERSONEM DEPORTATUS SIT TIMOTHEUS ODIO IN EUM CHALCEDONIORUM.

Gennadius autem Constantinopolis et adseclae eius Timotheum laedere non desinebant, dum in ἐξορίᾳ est; et regem adhortati sunt, et mandavit ut Gangris Chersonem iret, ubi habitant homines barbari atque inculti. Adsentiebatur vero huic proposito etiam episcopus Gangrorum, invidia erga Timotheum fidelem, et eximium et miraculorum actorem, et in pauperes misericordem, cum Alexandria et ab Aegypto et a ceteris fidelibus donum acciperet, et id egenis liberaliter daret. Et, cum navem conscendisset et in mare vectus esset quod media hieme turbidum erat, Chersonem sine κινδύνου pervenit. Et, cum causam didicissent, regionis incolae eum admirati sunt; et fidem eius participaverunt, eique oboediebant. Odium autem in eum Nestorii fautorum ob hoc fuit, quia operam dabat, et semper in synodum et Tomum vituperationes et reprehensiones scribebat, et in omnes partes mittebat et fideles confirmabat, dum verba sua de sanctis Scripturis et ecclesiae doctoribus a Christi praedicatione * usque ad dies suos stabilit; ut propter haec ei etiam qui haec intellexerunt se a Gennadio Constantinopolis separaverint et Acacio cuidam presbytero orphanorum nutritori coniunxerint, ⌜qui se Timocleto[1] poetae coniunxit et cum parte nestorianorum certavit; et hymnos composuit[2] et eos canebant. Et populus delectabatur, et crescebat in orphanotrophium congregatus. Rex vero beatam Mariam Deiparam proclamari iussit et in libro vitae inscribi, propter Martyrium Antiochiae qui aperte nestorianus erat, neque haec docere nunc adnuebat; qui etiam gradu amotus est. Vocatus est autem a rege Gregorius Nyssae, vir fidelis et eximius, Gregorii diserti cognominis, ut opinionem Nestorii adseclarum infirmaret[3]. His diebus monachi ad regem propter Martyrium adscenderunt; et mortuus est Gennadius, et eius loco fuit Acacius hic orphanotrophus. Et promissum ab eo factum erat eum Tomum Leonis infirmaturum, et synodum Chalcedonis, et fidei innovationem et additamentum quod in ea fuit.

[1] Ms. 'fratri Timocleti'; e MICH. correxi. De T. vide THEODOR. LECT., I, XIX, ubi vocatur Timocles. — [2] Sc. Timocletus. — [3] Zach. fortasse male intellexit Syrus.

CAPUT XII DE ISAIA EPISCOPO HERMOPOLIS ET DE THEOPHILO PRESBYTERO ALEXANDRIAE EUTYCHIANISTIS, ET EPISTULA QUAM TIMOTHEUS DE EIS FECIT EOSQUE DETEXIT.

Et res quidem ecclesiae urbis regiae ita factae sunt. Timotheus autem non solum in Nestorii adseclas scribebat, dum ipse in ἐξορίᾳ *est*, sed etiam in eutychianistas. * Et hoc manifestum est ex eis quae Alexandriam et ad Palaestinam scripsit in eos qui Eutychis opiniones tenent, nec Christum in carne nobis connaturalem confitentur, qui in deitate Patri connaturalis est. Et, quod et de Isaia episcopo Hermopolis et de Theophilo presbytero Alexandriae didicerat, qui in urbe regia degebant, quasi propter amorem pecuniae, et eutychianistae erant, et de ipso etiam Timotheo spargebant eum opinionum eorum participem factum esse, epistulam in doctrinam Eutychis et Nestorii cum subscriptione sua illuc scripsit, et, cum baiuli eius cogniti essent, ab his accusati sunt et in κίνδυνον venerunt, quod Isaias et socii eius contra eos dixerunt eos deceptores esse. [Et][1] iterum epistulam aliam de eis scripsit quam patrum χρήσεσι confirmavit, ita:

Epistula Timothei[2].

« Dominus et Deus noster Iesus Christus, [quando ortus est][3] ut nos a Satanae imperio salvaret et liberaret, et caeli bonis dignos redderet, νόμον nobis earum rerum quae ei placent per sanctos patres statuit; et ne quis dum se honorare putat ⌜misericordiam eius[4] iniuria adficeret sed ut dispensationem [humiliationis eius][5] nostrae salutis causa *factam* acciperet mandavit et dixit: 'Ne declines, neve ad dextram, neve ad sinistram; sed in via regia ambula'[6]; et rursus dixit: 'Ne sis iustus multum *et sapiens fias nimium, ne labaris; neve impie agas multum, neve durus sis, ne ante tempus moriaris'[7]; quod est, 'ne quid malus contra mandata mea tibi obiciat et scandalum tibi ponat in via regia in qua ambulas et te occidat'; quoniam dicit, 'In via gressuum meorum laqueos mihi absconditerunt'[8]. Contemplare ergo te ipsum, neve a via regia declines et aberres:

[1] In ms. excidit. — [2] Huius ep. alia versio syr. in Add. 12156, f. 30 r°, exstat. — [3] In ms. excidit; e MICH. addidi; 12156 'volens'. — [4] Ms. 'misericordem'; e MICH. correxi. Cf. p. 130, l. 24. — [5] E MICH. addidi. — [6] *Num.*, XX, 17; *Prov.*, IV, 27. — [7] *Eccl.*, VII, 17, 18. — [8] *Ps.* CXLI, 4.

Hoc enim mali voluntas est ; qui si impietatem magnam perficies tibi occurret, et in κίνδυνον incides. Sicut enim aliquis urbem aquis circumdatam intrare quaeret, et, [si][1] pedibus eas transibit, profunditate earum mergetur ac suffocabitur, et, si rursus eas transire metuet, urbem intrare non poterit, sed, si vadum idoneum explorabit, per id transeundo urbem intrabit, ita etiam nos qui Hierosolyma superna intrare studemus, nisi Dei νόμον, quem a sanctis doctoribus didicimus, sequimur, in rupe ducis nostri Petri Cephae fide vera stare non possumus. 'Tu' enim 'Cephas vocaberis, et super hanc petram ecclesiam meam aedificabo, et μοχλοὶ šĕyul in eam non praevalebunt'[2]. Ne quis a malo deceptus putet se fidem veram diruere valere ; et, si contendit, contra se ipsum contendit, nec quidquam depellere potest. Et hoc est 'μοχλοὶ šĕyul in eam non praevalebunt'. Quare, si quis super fidei veritatem non stabit, sed iustus multum fit, dum se honorare putat, contumelia adficit ; * μᾶλλον, nisi νόμον Domini nostri, qui per sanctos nobis statutus est, accipiet, ad abyssos mortis et in os šĕyul recidet. Didicimus enim nos absque signo fidei Deo placere non posse[3]. Haec scripsi quoniam nonnullos contendere audivi nec νόμῳ Domini nostri obtemperare qui per sanctos nobis statutus est, Dominum nostrum incorporatione sua in carne a nobis *accepta* nobis connaturalem factum esse ; qui etiam eos anathematizaverunt, *si ita non censent*. Ergo ne quis dum se Deum honoraturum sperat misericordiam eius contumelia adficiat, eo quod doctrinae patrum nostrorum sanctorum non obtemperat, qui Dominum nostrum Iesum Christum carne nobis connaturalem factum esse dixerunt, et cum carne sua unum esse. Audivi enim et sanctum apostolum docentem et dicentem : 'Quoniam filii carnem et sanguinem participaverunt, ita etiam ipse ut per mortem suam mortis dominium aboleret quod est Satanas, et omnes qui mortis timore tenebantur et subiugabantur solveret, ut in saeculum viverent. Non enim ab angelis cepit, sed a semine Abraham cepit. Et oportebat eum in omnibus *rebus* fratribus suis similem fieri, ut misericors esset, et apud Deum pontifex fidelis, et populi peccata expiaret. Eo enim quod ipse passus est ac tentatus est eos qui tentantur adiuvare potest'[4].

[1] In ms. excidit ; e MICH. addidi. — [2] MATTH., XVI, 18. — [3] *Hebr.*, II, 6. — [4] *Ibid.*, 14-18.

Quod enim in omnibus *rebus* nobis similis factus est cunctos qui caeli bona mereri volunt et salvari incorporationem Domini nostri Iesu Christi e Maria fuisse Virgine sancta Deipara confiteri docet, qui * corpore ei connaturalis factus est et nobis, qui deitate sua Patri connaturalis est. Patres enim nostri anathematizaverunt et nos eos secuti anathematizamus eos qui sicut ei non censent. Infra autem in epistula nostra χρήσεις etiam eorum doctrinae confirmandae causa exscripsimus.

Athanasii. 'Hoc enim et apostolus expresse scribit : « Fundamentum aliud nemo ponere potest [praeter id quod positum est][1], quod est Christus. Cunctus homo autem videat quomodo aedificet ». Fundamentum vero necesse est compactione et forma tale esse qualia ea quae super id aedificantur. Deus quidem Verbum, quoniam Verbum est et unicus, socios sibi similes deitatis participes non habet ; quia autem homo factus est de nostra natura et corpus nostrum induit, nos ei connaturales facti sumus. Ergo quod ad humanitatem nostram fundamentum est, ut nos saxa pretiosa fieri possimus, et super eum aedificari, et templum habitationis Spiritus sancti fiamus. Quemadmodum enim ipse fundamentum est et nos saxa super id aedificata, ita ipse vitis est, et nos palmites qui ex ea et in ea pendent, non natura deitatis — hoc enim fieri non potest, — sed humanitate. Oportet enim palmites viti similes esse ; quoniam nos etiam *ei sumus* qui corpore quod e nobis sumpsit ei similes sumus[2]. Et confitemur eum esse Dei Filium et spiritu Deum, et corpore hominem, neque unum Filium duas naturas, unam quae adoratur et aliam quae non adoratur, sed unam naturam Dei Verbi quae incorporata est et cum carne quam induit una adoratione adoratur'[3].

* Eiusdem ex epistula ad Epictetum. 'Valde reprehendentur et erubescent qui putant, si Domini nostri corpus e Maria esse dicturi simus, in Trinitatem quaternitatem nos introducturos ; dicturi simus, in Trinitatem quaternitatem nos introducturos ; et, si corpus Verbo connaturale esse dicturi simus, manere [Trinitatem][4] Trinitatem, cum nihil alienum ei addatur, et, si corpus eius humanum dicturi simus, quoniam corpus Dei naturae alienum sit, cum Verbum in eo sit, fieri pro Trinitate quaterni-

[1] Ms. et MICH. om. — [2] *Or. III contra Ar.*, LXXIV, II. — [3] *P. Gr.*, XXVIII, 25. — [4] In ms. excidit ; e MICH. addidi.

tatem necesse esse, propter corporis additamentum. Cum haec ita dicunt, quomodo verba eorum solvantur et a se ipsis subvertantur haud percipiunt. Si enim neque e Maria corpus esse dicent, [sed Verbo connaturale,][1] nihil minus quam aliquid distinctum (?), ipsi quoque quaternitatem dicere apparebunt. Quemadmodum enim Filius Patri connaturalis est, neque est Pater sed hypostasi Filius, et Patri connaturalis, ita, etiam si corpus Verbo connaturale est, non est ipsum Verbum; et, cum aliud sit, Trinitas, etiam secundum ipsorum rationem, quaternitas reperietur. Trinitas autem vera et indivisibilis et completa additamentum non accipit, sed ea quae ab his fingitur. Et quomodo christiani sunt, qui praeter eum qui est Deus alium comminiscuntur ?'[2].

*p. 191. * Eiusdem ex eadem epistula. 'Corpus natura humanum re et veritate factum est corpus Salvatoris nostri e Maria; quoniam ut nostrum factum est, quia Maria soror nostra est; quoniam nos omnes e patre nostro Adam sumus'.[3]

Iulii Romae. 'Et in natura divina nulla variatio est; non enim minuitur nec crescit. Et, quando dicit « Glorifica me », vox *est* quae a corpore *est* et de corpore. Gloria enim de eo toto dicitur; quoniam totus unus est. [Et rursus « Gloria][4] quam apud te habebam, antequam fieret mundus », de deitate sua quae semper glorificatur praedicavit, ad quam haec pertinet, quamquam etiam de eo toto pariter dictum est. Ita spiritu Patri connaturalis est invisibiliter; et, quoniam corpus etiam natura sua ei adunatum est, nomine pariter dicitur. Et rursus ⌜deitas eius etiam nomine comprenditur⌝[5], quia naturae nostrae adunata est; neque adunatione et societate nominis naturae natura corporis in naturam Dei commutata est, ut societate corporis humani et nuncupatione corporis nobis connaturalis natura deitatis non commutata est'[6].

Eiusdem ex epistula ad Dionysium. 'Qui autem confitentur Deum de caelo e Virgine incorporatum esse, eumque cum carne sua unum esse frustra turbas faciunt contra adversarios qui dicunt, ut audivi, ipsi etiam duas naturas, cum Iohannes Domi-

[1] In ms. deest; e MICH. et gr. addidi. — [2] *Ad. Epict.*, VIII, IX. — [3] *Ibid.*, VII. — [4] In ms. excidit; e MICH. addidi. — [5] Gr. ἀνθρώποις ὁμοούσιος; συμπεριλαμβανομένης κ. τῆς θεότητος τῷ σώματι (pro quo legit noster ὀνόματι); vers. syr. apud FLEMMING et LIETZMANN (*Apollinarische Schriften*, p. 20) 'cum corpore'. — [6] *P. Lat.*, VIII, 874.

num nostrum unum ostenderit eo quod dixit: « Verbum caro factum est », et Paulus, « Unus est Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia *facta sunt* ». Si enim * is qui e Virgine natus *p. 192. est Iesus nominatus est, et ipse est is per quem omnia facta sunt, una est natura, quoniam una est hypostasis in duas non divisa; quoniam non discreta est natura corporis, et rursus natura deitatis separatim in incorporatione; sed, quemadmodum homo una natura est e corpore et anima, ita is etiam qui in forma hominum factus est unus est Iesus Christus'[1].

Gregorii miraculorum actoris. 'Quicunque dicit specie Christum in mundo apparuisse, neque eum in corpore venisse confitetur ut scriptum est, anathema sit.

Quicunque de Christi corpore dicit id anima et mente carere, neque eundem completum confitetur ut scriptum est, anathema sit.

Quicunque dicit Christum partem hominis cepisse, neque eum in similitudine nostra omnibus rebus factum esse confitetur praeter peccatum, anathema sit.

Quicunque dicit Christum commutabilem esse aut convertibilem esse, neque eum spiritu non commutatum esse nec carne corruptum ut scriptum est, anathema sit.

Quicunque dicit Christum hominem completum factum esse separatim [2], nec Dominum nostrum Iesum Christum unum confitetur, anathema sit.

Quicunque dicit alium fuisse qui passus esset et alium fuisse qui non passus esset, nec Deum Verbum impassibilem carne sua passum esse ut scriptum est, anathema sit.

Quicunque dicit alium esse qui ante saecula *fuerit* Filium Dei, et alium esse qui novissimo tempore, neque eum qui ante saecula ipsum esse qui novissimo tempore confitetur, ut scriptum est « Christus * heri et hodie »[3], anathema sit. *p. 193.

Quicunque dicit Christum e viri semine fuisse ut ceteri homines, neque eum e Spiritu sancto et e Maria virgine incarnatum esse et inhumanatum e semine domus David confitetur ut scriptum est, anathema sit.

[1] *Ad Dion.*, I, II (*P. Lat.*, VIII, 929, 937). — [2] Gr. ins. κ. Θ. Λ. διαιρέτως — [3] *Hebr.*, III, 18. In gr. citatio deest.

Quicunque dicit Christi corpus deitati eius connaturale esse, nec Deum qui ante saecula *fuerit* semet exinanisse et servi formam adsumpsisse confitetur ut scriptum est, anathema sit.

Quicunque dicit Christi corpus increatum esse, nec Deum Verbum haud factum e creatione humanitatis incarnationem et humanitatem accepisse confitetur ut scriptum est, anathema sit.

Quomodo enim corpus non factum dicit? quod enim increatum *est* non patitur, nec sauciatur, nec tractatur. Christus autem, cum e mortuis surrexisset, clavorum cicatrices et lanceae vulnus, et corporis tactum discipulis ostendit; quamquam etiam clausis foribus ingressus est, ut deitatis potentiam et corporis veritatem ostenderet. Fieri enim non potest ut caro quae post tempus *fuit* deitati quae ab aeterno *est* connaturalis dicatur; hoc enim connaturale est, quod natura et proprietate [1] variatione caret'. [2]

[Eiusdem.] [3] 'Et est Deus verus incorporeus qui in carne completus apparuit, in deitate completa, non duae hypostases nec duae naturae. Non enim quattuor adoramus, Deum et Filium Dei, et hominem et Spiritum sanctum; * sed et eos qui adeo impii sunt et hominem in Dei gloria etiam collocant anathematizamus. Nos enim dicimus Dei Verbum hominem factum esse propter salutem nostram, ⌜ut eius qui de caelo *est* formam adsumeremus et in forma eius qui natura verus Dei Filius est, carne autem homo Dominus noster Iesus Christus deificaremur [4]'. [5]

*p. 194.

Basilii Caesareae. 'Quod fit non e natura factoris sui est. Quod autem gignitur ex οὐσίας genitoris sui est. Ergo non unum est quod creatur et quod gignitur'. Et rursus 'In genitis eadem natura est eius qui gignit, quamvis etiam qui genitus est aliter exsistat. Abel enim qui e coitu genitus est haud alius est quam Adam qui non genitus est sed formatus'. Et rursus 'Si qui

[1] Gr. ἀιδιότητι, pro quo legit *noster* ἰδιότητι. Pitra (vide not. seq.). ܐܝܬܝܘܬܐ ('aeternitate'). — [2] *P. Gr.*, X, 1128. Alia versio syr. de variis mss. apud Pitra, *Anal. Sacra*, IV, 95 (vers. lat., p. 357), edita est. Hic et in graeco anathemata verso ordine dantur, sed in versione syr. apud Lagarde, *Anal. syr.*, p. 16, nostro ordine. Duae ult. clausulae duorum primorum anathematum explicationes sunt. — [3] In ms. excidit; e Mich. addidi. — [4] Ms. (corrupte) 'qui formam eius qui nobis est adsumpsit et venit in forma eius qui .... Chr.'; e gr. correxi. — [5] *P. Gr.*, X, 1117; Pitra, *op. cit.*, VI, 89, 352; Flemming-Lietzmann, p. 10.

creatione sua variationem habent οὐσία variant, ergo homines alius alii natura non similes sunt; quod alia est creatio Adam qui e terra formatus est, et alia Hevae [quae] [1] e costa facta est, et alia Abel qui e coitu est, et alia eius qui e Maria qui e virgine sola est. Ita autem de avibus et bestiis'. [2]

Gregorii fratris eius. 'Naturam enim eorum quae gignuntur necesse est ut genitores eorum esse'. [3]

Gregorii Nazianzi. 'Haec quidem communia sunt eius qui nobis altior *est* et propter nos nostra cepit, et homo factus est, non solum ut per corpus corpore contineretur — * sed non contentus est, propter naturam suam quae sensibus percipi non potest; — sed ut in se ipso hominem sanctificaret ut fermentum toti massae factus est eamque ad se traxit, et quod condemnatum erat debito [4] eius solvit. Omnia pro nobis ut nos factus est praeter peccatum, corpus, anima, mens, quibus homo vulgaris mortalis constat, Deus qui conspicitur propter *id quod* intellectuale *est*, Filius autem hominis propter Adam et Virginem e quibus fuit, quod ex illo quidem atavo *fuit*, haec autem legitime mater eius *fuit*, et supra naturam sine lege [5] eum peperit'. [6]

* p. 195.

Iulii Romae. 'Praeterea de Salvatoris nostri in carne dispensatione credimus Deum Verbum cum absque variatione mansisset carnem factum esse, ut humanitatem renovaret. Dum autem Dei verus Filius *secundum* nativitatem aeternam est, homo factus est nativitate sua e Virgine *orta*; et est unus [et] [7] idem Deus perfectus deitate sua, [et] [7] Patri connaturalis, idemque homo perfectus nativitate e Virgine *orta* et hominibus corpore connaturalis. Quicunque vero dicit Christum corpus e caelo habuisse, aut corpus eius ei connaturale esse, anathema sit. Quicunque Domini et Salvatoris nostri carnem e Virgine esse nobis connaturalem non confitetur, anathema sit. Quicunque de Domino et Salvatore nostro, qui e Spiritu sancto et e Maria virgine in carne factus est, eum simplicem esse dicit et sine perceptione et sine ratione et sine mente, anathema sit. Quicunque dicere audebit Christum deitate passum esse, et non carne ut scriptum est,

[1] In ms. excidit; e Mich. supplevi. — [2] *P. Gr.*, XXIX, 673, 680, 681. — [3] *Id.*, XLV, 601. — [4] Vel 'damnatione' (gr. καταχρίματος), sed vox hoc sensu non cognita est. — [5] νόμος. — [6] *Or. Theol.*, IV, XXI. — [7] In ms. excidit; e Mich. et gr. addidi.

*p. 196. * anathema sit. Quicunque Dominum et Salvatorem nostrum separat ac dividit et dicit alium Filium esse Deum Verbum et alium hominem quem cepcrit, nec confitetur eum unum [atque][1] eundem esse, anathema sit'.[2]

Iohannis Chrysostomi. 'Qui ab omnibus mentibus remotus est, et omnes ratiocinationes superat, et angelis altior *est* et omnibus potestatibus intellectualibus, voluit et homo factus est, et carnem quae de terra et luto formata erat cepit, quando uterum virgineum intravit et conceptus est, *per* spatium novem mensium, et, postquam natus est, lac suxit et in cunctis *quae* hominum *sunt* passus est'.[3]

[Eiusdem.][4] 'Quare vocatus est mensa? Quia dum mysteria quae super eum *sunt* comedo delector. Quare vocatus est domus? Quoniam in eo habito. Quare vocatus est inquilinus? Quia templum ei factus sum. Quare vocatus est caput? Quia membrum eius factus sum'.[5]

[Rursus.][4] 'Quando meretricem concupivit, quid fecit? Non vocat eam sursum. Meretricem enim ad caelum evehere nolebat. Sed ipse deorsum descendit. Quoniam ut ipsa adscenderet fieri non poterat, ipse ad eam deorsum descendit, et ad tugurium eius venit eumque non puduit; et eam ebriam invenit. Et quomodo venit? Non natura sua aperte, sed ut est meretrix factus est, natura, non voluntate, ne cum eum videret contremeret et turbata fugeret. Homo factus ad eam venit. Et quomodo factus est? In utero concipitur, et paulatim crescit'.[6]

*p. 197. * Eiusdem. 'Hodie qui ab aeterno est natus est, et factus est homo id quod non erat, cum ab eo quod Deus erat non commutatus sit. Non enim deitatis commutatione factus est homo, neque incremento ex hominibus factus est Deus. Sed, dum Verbum est passione expers, caro factus est nec natura eius commutata est. Qui in throno alto ac sublimi sedet in praesepio depositus est. Qui simplex est atque incorporeus et non tractatur hominum manibus comprimitur. Qui peccati catenas secat fasciis involvitur'.[7]

Athanasii. 'Si quis extra haec de sanctis Scripturis docet et

[1] In ms. excidit; e MICH. et gr. addidi. — [2] VITALIS, ap. CYR., ed. PUSEY, VII, 165. — [3] Ed. Par. 2a, III, 26. — [4] In m[s. e]xcidit; e MICH. addidi. — [5] *De capt Eutr.*, VIII (ed. Par. 2a, III, 469). — [6] *Op. cit.*, XI (*ibid.*, p. 471). — [7] Ed. Par. 2a, VI, 459, 462.

dicit alium esse Filium Dei, et alium esse qui e Maria hominem, qui gratia sicut nos filius factus sit, ut essent duo Filii, unus Deo connaturalis[1] et Deus[1], et unus qui gratia homo e Maria, et qui Domini nostri corpus desuper esse dicit, neque e virgine Maria, aut deitatem in carnem conversam esse, aut confusam esse aut immutatam, aut Domini nostri deitatem passam esse, aut corpus Christi non adorari utpote quod ab hominibus sit, sed[2] adorandum esse corpus utpote quod Domini et Dei nostri sit, hunc anathematizamus, dum apostolo obtemperamus qui dicit: « Quicunque vobis praedicabit praeter quod vobis praedicavimus, anathema sit ».'[3]

Ambrosii episcopi. 'Idem loquitur, et non * uno modo semper; *p. 198. sed intende in eo nunc quidem gloriam Dei, nunc autem hominum passiones. Quasi Deus docet divina, quia Verbum est; et quasi homo docet humana quia in nostra natura loquebatur'.[4]

Theophili Alexandriae. 'Deus Verbum vivum, et omnia vivificans, saeculorum factor, non ut ὕλην pretiosam [corpus][5] caeleste induit et ad nos venit, sed in luto artis peritiam suam magnam ostendit, eo quod hominem qui de luto formatus erat renovavit et reparavit. Nascitur e virgine ut homo, dum in omnibus nostris *rebus* praeter peccatum excurrit, et, cum modo mirabili factus esset, nobis ortus est, et naturae humanae benedixit'.[6]

[Eiusdem.][7] 'Verumtamen et primus homo modo alio a nobis diverso factus est, eo quod congressio ac commercium viri et feminae creationi eius non servierunt. Et, si illi permittunt ut Dei voluntate e terra fiat, cum parentes non sint qui coitione maris et feminae nativitati serviant, quare de Domini ac Salvatoris nostri e virgine incorporatione contendunt? Et, cum in hac *re* quidem contra nos dicunt, dicimus eis « Quid facilius, ut homo e terra fiat cum non sint parentes, aut Christus Salvator noster e virgine cum carne atque anima sensibiliter nascatur? » Et homo quidem primus, qui e terra factus est, omnem * similitudinem *p. 199. suam humanam participavit in carne et sanguine. Salvator autem

[1] Ms. 'in Deo'; e MICH. correxi; gr. (pro 'Deo - Deus') κατὰ φύσιν υἱὸν Θ. — [2] Gr. καὶ μὴ; MICH. 'vel'. — [3] *P. Gr.*, XXVIII, 28. — [4] *De Fid.*, II, VII (vers. gr. MANSI, IV, 1192). — [5] In ms. excidit; e gr. addidi. — [6] *Ep. fest.* VI (MANSI, IV, 1189). In 12156 (vide p. 129, n. 2) ep. XXI vocatur. — [7] In ms. excidit.

noster potestate sua carne et sanguine corpus anima praeditum et sensibile sibi e virgine creavit ac confinxit. Et confitemur eum cum hominibus conversatum esse, et voluptatem ac congressionem viri et mulieris in sancta eius incorporatione partem non habuisse. ' [1]

Eiusdem. ' Deo enim Verbo haud difficile erat e corpore virgineo templum sibi propter salutem nostram confingere. Considera autem nunquam coitu naturae pollui Deum homines creantem. Quantum ergo e sanguine virgineo propter salutem nostram misericordia sua incarnatur '. [2]

Cyrilli. ' Ita revera, cum Christum miraculo peperisset, Deipara virgo mansit ; qui sicut nos carnem et sanguinem participavit [nobis connaturalem et humanitate nostram e carne eius, non enim] [3] sibi ipsi connaturalem ut dicunt haeretici, sed nobis connaturalem, quoniam dixit « Semen Abraham adsumpsit » [4] '. [5]

Eiusdem. ' Corpus ipsius Verbi factum esse dicimus, neque alius hominis distincte ac separatim, qui Christus Filius non esse putetur. Et, sicut corpus uniuscuiusque nostri ipsius esse dicitur, ita et de uno Christo censemus. Et, quamquam de genere [6] nostro ac natura nostra corpus cepit, quia e virgine generatus est, sed corpus ipsius *esse* putatur ac dicitur ; et, quoniam Deus Verbum natura sua vita est, corpus suum vivificum ostendit, et hac *re* factus est nobis benedictio vivifica '. [7]

*p. 200. *[Eiusdem.] [8] Sin autem, quomodo sicut nos factus est ? Et, quamquam mansit ut est Deus Verbum, verumtamen da ei in unione hypostasis corpus eius non separari, neve eum carne eius nudes ; et ita unum Filium iuste adorabis divine quidem Patri connaturalem, humane autem eundem nobis ipsis connaturalem. Et, qui haec censere contenti sunt [9], Christus scientiam eorum mysteriis suis conlustrabit atque illuminabit '. [10]

Eiusdem. ' Bonum vero nobis est dicere et censere Deum Verbum missum esse et hominem factum nobis connaturalem, et Deo Patri connaturalem mansisse. Est et mansit ut est ; et ubi homo factus

[1] In 12156 de *ep. fest.* XXII citatur. Graece non exstat. — [2] In 12156 deest. Graece non exstat. — [3] In ms. excidit ; e Mich. addidi. — [4] *Hebr.*, II, 16. — [5] Hanc citationem non inveni. — [6] γένος. — [7] Ed. Pusey, VI, 356. — [8] In ms. excidit ; e Mich. addidi. — [9] Vox ܐܥܒ hoc sensu lexicis incognita (cf. p. 140, l. 34) ; 12156 ܨܒܝܢ (volunt). — [10] In 12156 (31 v°) e libro *contra Theodorum*, cap. II, citatur. Graece non exstat.

est haud mutatus est, et missus est « captivis redemptionem » proclamaturus « et caecis lucem » '. [1]

Eiusdem ex epistula ad Succensum. ' Dicunt « Si Christus Deus perfectus est et homo perfectus, et idem deitate Patri connaturalis putatur, et humanitate nobis, [quomodo] [2] completus *est* si natura humana non apparet ? et quomodo nobis connaturalis si hypostasis id est natura nostra non apparet ? » Sufficit perceptioni eorum solutio quam [priore] [2] capite fecimus. Si enim, cum « unam naturam Verbi » dixissemus, « incarnatam » dicere abstinuissemus, dispensationem expellentes, speciosus esset sermo eorum : « Quomodo humanitate et natura completus est ? » Quoniam vero * sermo noster *eum* et humanitate et natura *p. 201. perfectum indicat quod dicit eum incarnatum esse, ergo sileant neve arundini confractae innitantur '. [3]

Eiusdem. ' Tetigit autem manum filiae Iairi deitatis suae auctoritate, dum dicit : « Puella surge » [4], nec verbo tantum mandavit, et secundum voluntatem eius opus perficiebatur, [5] sed ut crederemus corpus eius sanctum nostro connaturale factum esse, venerandum autem fuisse ac divinum, et norma nostra sublimius, et cum eius factum esset eum in eo operatum esse ; quamobrem corpus suum panem vitae vocavit '. [6]

Ideoque patres nostri sancti hi et huiusmodi una anathematizaverunt quicunque doctrinae eorum non pareat. Et Alexandriam scripsi, ad clericos et monachos et sorores in Christo virgines, et populum fidelem, et epistulam ad dilectionem vestram misi, ut quae scripsi vobis nota sint. Timotheus salutem manu propria obsigno. Quicunque secundum traditionem Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, quam patres nostri sancti docuerunt, non credit anathema sit. Oportet enim nos aut in fide stare et in ea vivere, aut pro ea mori et in saecula saeculorum vivere. Anatolius presbyter frater meus vos salutat, et Theophilus et Cyrus, et Christodorus et Gennadius diaconi, et fraternitas quae mecum *est.* »

Hanc epistulam superius *datam* et χρήσεις quae in ea *sunt* hic scripsimus ; quam cum legerint * et intellexerint doctrinae *p. 202.

[1] Ed. Pusey, VII, 157, 159. — [2] In ms. excidit ; e gr. supplevi. — [3] Ep. XLVI, III. — [4] Marc., V, 41 ; Luc., VIII, 54. — [5] Huc usque textus gr. deest. — [6] *Contra Synusiastas, fr,* III *(In Ioh. Evang.,* ed. Pusey, III, 479).

amantes, eam Nestorii opinionem, qui duas naturas in Christi unione dicit, et Eutychis doctrinam, qui Deum Verbum hominem perfectum factum esse, et Deum Verbum unam hypostasim quae incarnata esset sine commutatione mansisse non confitetur, apte diluere invenient. Et post eam etiam hanc porro epistulam eius 5 exscribimus quae indicat quomodo recipi debeant qui ab haeresi paenitentiam agunt et convertuntur.

Epistula Timothei quam Alexandriam scripsit, in qua Isaiam et Theophilum a societate fidelium separavit. [1]

« Timotheus Dei amantibus episcopis et presbyteris et diaconis 10 et archimandritis, et sororibus et populo fideli in Domino nostro salutem. Quoniam Isaias et Theophilus, *qui* tempus nonnullum haeretici occulti *fuerunt*, quos ut sanctae patrum nostrorum doctrinae adsentirentur epistulis admonui, neque epistulis paruerunt quas eis Constantinopolim scripsi cum citationibus de 15 Scripturis et ecclesiae doctoribus, Dominum nostrum Iesum Christum in corpore nobis connaturalem factum esse, neque ἐξορίαν etiam nostram a loco in locum reveriti sunt, sed in epistulae nostrae baiulos dolose egerunt, et ὑπάρχους etiam de eis certiores fecerunt, et alios incitaverunt illam φάλσον esse [2], 20 cum chirographum meum quod in ea *erat* cognovissent, tum eos tempus haud breve exspectavimus, cum voluntatem eorum didicissemus, nec nobis responderunt, nec sermone nec litteris. Et iterum visum est mihi nos ad eos scribere oportere; et * p. 203. scripsimus ut paenitentiam agerent et fidem * veram confiterentur 25 hortantes, dum eos commoneo Deum paenitentes non culpare aut reicere et ostendo sanctos etiam nonnullos peccasse et Dominum nostrum negasse, et postremo paenituisse eos, et Deum paenitentiam eorum accepisse, et potestate eorum priore eos dignos aestimasse, David et Petrum et Paulum. Talia eis 30 scripsimus, si paenitentiam acturi essent et corpus Christi nobis connaturale confessuri, nos in eadem illa erga eos dilectione et amore nostro perstituros, eosque in honore ordinis eorum retenturos; nec contenti fuerunt [3] sed nos respuerunt. Et rursus quattuor annos eos oppertus sum, nec nominibus eorum eos detexi, et 35 inoboedientia usi sunt, neque eos paenituit, nec patrum nostrorum

[1] In 12156 (32 r°) haec ep. longior est. — [2] Sic syr. — [3] Vide p. 138, n. 9.

sanctorum doctrinam acceperunt nec nos, sed haereticis quibusdam adhaerent, qui aperte dicunt Dominum nostrum corpus humanum non cepisse, neque hominem perfectum de nobis factum esse, et 'inter domos irrepunt', [1] et amore pecuniae et 5 [ventris], qui Deus eorum aestimatur [2], tenentur, dum in urbe regia degunt. Et scripsimus eis ut inde exirent, et noluerunt; et simplices quosdam decipiunt et alias contra nos famas spargunt ut nobis mala diversa faciant. Et, *quamvis* contristatus et moerore de eis adflictus, eos nominibus eorum separare coactus sum ne 10 multos offendant et decipiant; et notum facio ut Isaiae et Theophili, qui Domini nostri corpus ei connaturale esse dicunt nec de nostro fuisse, neque eum revera hominem factum esse, et semet a communione patrum nostrorum sanctorum et nostra alienos fecerunt, nemo societate utatur; quoniam Iohannes 15 evangelista mandat et dicit: 'Fratres mei, ne omnibus spiritibus credatis, sed spiritus probate si e Deo * sint; quoniam multi * p. 204. prophetae falsi in mundo apparuerunt. Et hoc agnoscitur spiritus qui e Deo *est*. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse e Deo est; et omnis spiritus qui Iesum non 20 confitetur e Deo non est; et hic falsi Christi spiritus est; quoniam multi deceptores in mundo exierunt, qui non confitentur Iesum Christum in carne venisse. Hic deceptor est et falsus Christus' [3]; et rursus 'Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non proclamat, ne eum in domo recipiatis, neve eum salutetis. 25 Et qui eum salutat operibus eius malis communicat' [4]; et propter apostolum qui dicit: 'Quicunque vobis plus praedicabit praeter quod vobis praedicavimus anathema sit, si apostolus sit sive angelus de caelo' [5]. A sanguine eorum innocens sum et ab eis qui eorum societate utuntur. Non enim silui et quid eos deceret 30 non secundum Dei voluntatem ostendi; quoniam Paulus admonet et dicit: 'Post unam et duas vices quibus haereticum admonebis et non recipiet, eum devita, quoniam hic corruptus est, et condemnatus est dum peccat'. [6] Beatus etiam Dioscorus confessor in epistula ad Secundinum quoque cum patrum nostrorum 35 sanctorum *dictis* consentientia de talibus scripsit [7] ».

[1] II *Tim.*, III, 6. — [2] *Philipp.*, III, 19. — [3] I IOH., IV, 1-3; II IOH., 7. — [4] II IOH., 10, 11. — [5] *Gal.*, I, 8. — [6] *Tit.*, III, 10, 11. — [7] In 12156 sequitur excerptum cuius pars supra (p. 104) data est.

Et cetera porro epistulae. « Obsecro vero vos, fratres mei, per Dominum nostrum Iesum Christum et per spiritus dilectionem, de eis qui ab haeresi diphysitarum paenitentiam agunt, ut anno praeterito in epistula scripsi, ut eos adiuvetis et manum eis in Domino nostro detis, vos episcopi et clerici et ceteri fideles, quicunque vobis subiecti sunt. *Qui convertitur post annum unum paenitentiae suae in gradu suo constituatur, et honor eius ei detur. Et, si episcopus fidelis non est, clerici Dei dilectione locum impleant, aut episcopi qui quolibet modo in regione adsunt fideles, etsi paenitentes eis dicione non subiecti sint. Idem vero statutum atque interdictum unius anni observavit Cyrillus et Dioscorus, de episcopis et presbyteris etiam et diaconis qui convertuntur et deinde in gradibus suis prioribus constituuntur. Orate pro nobis, ut Deus nos in hoc ἀγῶνι adiuvet. Dominus noster vobiscum amen ! »

Huiusmodi epistulas scribebat, et admonebat, ut eos qui a parte Pretorii venirent acciperent. Et adeo celebris erat etiam apud Indiae incolas, ut, postquam episcopus eorum mortuus est, rogationem ad eum miserint ut episcopum eis facerent ; quoniam fidei eius participes facti erant. Verumtamen Alexandrini a clamoribus et petitionibus non abstinebant, quos ad regem de eo identidem mittebant, et στάσεις faciebant. Miserunt enim monachos quosdam probatos, Paulum sophistam et Iacobum et Theopompum, cum Leonem iam mortuum esse et ei successisse Basiliscum didicissent.

Summi sacerdotes autem a synodo Chalcedonis usque ad Basiliscum, et Encyclia quae fecit is et Marcus, et regnum Zenonis qui αὐτοκράτωρ factus est sunt hi. Romae Leo ; et post eum Hilarius. * Alexandriae Pretorius qui occisus est ; et post eum Timotheus magnus qui relegatus est ; et, donec per Encyclia reversus est, Timotheum alium fecerunt, qui ' φακιολίου trementis ' vocabatur. Constantinopoli Anatolius ; et post eum Gennadius et post eum Acacius. Ephesi Iohannes qui loco Bassiani intravit ; et Paulus qui relegatus est, et rursus per Encyclia reversus est, et iterum relegatus est. Antiochiae Domnus ; et post eum Maximus ; et, post eum, Martyrius qui expulsus est ; et post eum Iulianus ;

et post eum Stephanus ; et post eum Stephanus alius qui expulsus est ; et Petrus qui ab ἐξορίας duas *et* tres vices reversus est. Et Hierosolymis Iuvenalis ; et post eum Anastasius. [1]

Et Leo rex αὐτοκράτωρ mortuus est ; et steterunt post eum Basiliscus et Marcus, et Zeno qui paulum tempus ad arces SLMWN recessit, et reversus est et αὐτοκράτωρ factus est ; et expulsi sunt Basiliscus et Marcus.

Liber V in capitibus his duodecim, quae infra singillatim exscripta sunt, de Basilisco et Marco ἐπιφανεστάσου [2] docet ; et de litteris eorum encycliis quas ad episcopos dicionis suae fecerunt, in qua [3] synodum Chalcedonis et Tomum anathematizaverunt, postquam duodeviginti annis elapsis Timotheus magnus ab ἐξορίας Gangrae et Chersonis rediit, et Constantinopolim advenit, et Basiliscum de Encycliis adhortatus est ipse * et Paulus sophista, et Iacobus, et Theopompus, monachi eius probati ; et de litteris δεήσεως quas miserunt episcopi Asiae, qui Ephesum congregati sunt et Encycliis subscripserunt ; et de monachis eutychianistis qui Constantinopoli adfuerunt et in Timotheum dolos finxerunt, ipsi et Zenonis uxor regis, ut eum iterum in ἐξορίαν relegarent ; et Ephesum recessit et in synodo quam congregavit Paulum restituit et ibi collocavit, eique δίκας patriarchatus dedit, quas ei synodus Chalcedonis abstulit et sedi urbis regiae dedit propter adsentationem et proditionem Iohannis quem fecit pro Bassiano, qui sese abdicavit et recessit et in ἐξορίαν pervenit ; et Timotheus pompa receptus est, et absque malitia recepit eos qui paenitentiam egerunt de parte Pretorii et Timothei φακιολίου trementis qui regis mandato ante eum ipsum expulsus est. Indicat vero et quae Constantinopoli egerit Acacius in στάσει et seditione quam in Basiliscum fecit, et ecclesias occupavit, eumque Antencyclia facere coegit, et litteras priores negare. Et his Antencycliis etiam episcopi subscripserunt praeter Amphilichium Sides et Epiphanium Magdali ; et deinde Zeno rediit, et αὐτοκράτωρ factus est ; et Basiliscum expulit et νόμους quos fecit abrogavit, omnia quae mandaverat ; et, cum Timotheum relegare voluisset, in sede sua requievit, et pro eo factus est Petrus, qui a Zenonis minis delituit ;

[1] Seq. in ms. ' Liber IV '. — [2] Sic syr. ; cf. p. 146, l. 17. — [3] Sic.

* p. 208. et rediit Timotheus * φακιολίου trementis et ecclesiam occupavit, et Petrum quaerebat. Docet autem et de Iohanne quodam archimandrita qui ad Zenonem missus est cum δεήσει fautorum eiusdem huius Timothei φακιολίου trementis, ut *id* mandaret ut post mortem ipsius Timothei fautorum eius aliquis Alexandriae 5 episcopus fieret; et hic Iohannes sedem exoptabat, et didicit Zeno; et, cum eum exploraret, iuramentum ab eo postulavit coram συγκλήτῳ et Acacio praeterea episcopo eum episcopum non fore; et, postquam Alexandriam reversus est cum regis mandatum portaret ut post Timotheum episcopus fieret ex eius fautoribus 10 quemcunque urbs vellet, accidit *ut* eodem tempore hic Timotheus φακιολίου vacillantis mortuus sit; et Iohannes iuramentum violavit, dato pretio ut ibi episcopus fieret; et, cum Zeno per fideles quosdam *qui* inter monachos eius urbis illustres *erant* audisset, qui ad eum adscenderunt eumque de omnibus *rebus* 15 quae e tempore synodi *factae erant* docuissent, quidnam Alexandriae accidisset, et perculsus est et eum mente paenituit et fecit scriptum Henotici, et de Petro mandavit ut ad locum suum rediret, si Henoticon accepturus esset, et Iohannes mendax expelleretur; qui Romam recessit, et se propter synodum et 20 Tomum loco suo expulsum esse docuit, et Zeno patriarchae eius urbis scripsit, et Iohannem detexit. Reversus est vero et Petrus Antiochiae, et synodum fecit, et Henoticon accepit; et Acacius Constantinopolis, et Martyrius Hierosolymorum, qui Anastasio successit; et epistulas synodicas scripserunt et se Petro Alexan- 25
* p. 209. driae coniunxerunt, praeter * sedem Romae. Monachi autem acres quidam se a Petro separaverunt, et facti sunt ἀποσχισταί, quia Henoticon accepit, in quo synodi anathema expresse non erat; et Petrus eos monasteriis eorum eiecit; et nonnulli eorum ad Zenonem adscenderunt eumque oraverunt, et misit cum eis 30 Cosmam spatharium, et rem eorum perscrutatus est, et secunda vice Arsenium ὕπαρχον; et fuerunt inquisitiones multae. Haec autem in capitibus duodecim huius libri V expresse enarrata sunt, qui ab eodem Zachariae opere, ut *ita* dicamus, e graeco interpretatus est, et hic lingua syriaca exscriptus, in exercitium et 35 scientiam studiosorum, ut quae temporibus nobis antiquioribus acciderunt intellegant.

LIBER V.

CAPUT I EIUSDEM LIBRI INDICAT QUOMODO TIMOTHEUS POST LEONIS MORTEM AB ἐξορίας REDIERIT, EUMQUE BASILISCUM DE ENCYCLIIS ADHORTATUM ESSE.

5 Cum Timotheus annos duodeviginti ἐξορίᾳ retentus esset, et Leo αὐτοκράτωρ mortuus esset, et post eum regnasset Zeno, et cum hanc regni eius occasionem percepissent Alexandrini, δέησιν miserunt per monachos quosdam probatos, ut *ita* dicamus qui inter eos illustres ac clari *erant*, Amun qui vocabatur 'taurus 10 ferus', et Paulum qui fuerat sophista [1], et Theorianum et Iacobum virtutum actores, et Theopompum fratrem μαγίστρου. Verumtamen seditione quae in Zenonem facta est a Basilisco Verinae Leonis uxoris fratre, qui * diebus Leonis στρατηγὸς cum Zenone erat, * p. 210. Zeno [2] ad arces SLMWN vocatas recessit et Basiliscus diadema 15 induit; et Theoctistum medicum suum alexandrinum, huius Theopompi monachi fratrem, μάγιστρον fecit. Et cum hi monachi coram eo intrassent rex eos admiratus est, et primores et regina; et Theoctistus μάγιστρος etiam eos adiuvabat et Acacius episcopus. Et mandavit Basiliscus ut Timotheus rediret. 20 Et Acacius ecclesiam Irenen vocatam ei hospitium adornavit, et principio clericorum suorum *nonnullos* in viri comitatum ac ministerium seposuit. Quoniam autem tandem rursus suspicatus est Acacius eorum in animo esse ut Theopompum pro eo in urbe regia crearent, turbatus est et ira commotus. Et, 25 cum Timothei adventum impedire quaesivisset, *id facere* non potuit; rediit enim et pompa magna receptus est, a nautis alexandrinis, et a populo qui Constantinopoli adfuit; et in domo regia deversatus est; et populus multus ei adpropinquabat ut benedicerentur et sanctificarentur et sanationem ab eo lucrarentur. 30 Et, ubi Timotheus et qui cum eo et propter eum ibi adfuerunt cum Basilisco et uxore eius collocuti sunt, regem oraverunt et Encyclia facere adnuit, in quibus Tomum et additamentum quod Chalcedone factum est anathematizabat, quoniam Paulus monachus ea contexuit, vir facundus et sophista; qui, ubi cum Acacio 35 patriarcha disputavit, in disputatione haeresim Nestorii et Eutychis unam esse ostendere valuit, quamvis etiam altera alterae contra-

[1] Cf. *P. Or.*, VIII, 113. — [2] Ms. 'Leo'.

riae esse putentur, eius quidem quod vituperationis modo dicat Deo probrum esse ut e muliere * nascatur, et in omnibus *rebus* nobis similis fiat, dum carnem et sanguinem participat, sed nomine tantum eodem et auctoritate et descensione et operatione, huius autem quod, dum Deum liberat et elevat, ne per corpus humanum probro et contumelia adficiatur, eum e sua ipsius essentia crassum factum esse et corpus caeleste cepisse adfirmet, et, ut in cera nulla pars sigilli et in luto nulla pars annuli aurei remaneat, *rerum* humanarum nullam partem Christo adhaesisse. Et, cum haec dixisset, Acacius ob veritatem viri sermonis miratus est, et adsensus in sententiam concessit. Et ad Timotheum profectus quasi de iure sedis cum eo amanter locutus est; et cum a Timotheo flagitaretur ut Encycliis subscriberet haesitavit.

CAPUT II, DE ENCYCLIIS BASILISCI ET MARCI INDICAT, QUAE ITA SE HABENT [1].

« Αὐτοκράτωρ Basiliscus rex fidelis et victor et triumphator (?) semper Augustus, et Marcus ἐπιφανέστασος [2] Caesar Timotheo reverendo et Dei amanti archiepiscopo Alexandriae urbis magnae. Cunctos νόμους quos reges fideles ac memorabiles qui ante nos *fuerunt* iuste et recte statuerunt, in salutem et correctionem mundi universi, pro fide vera ducum nostrorum apostolorum et patrum nostrorum sanctorum, stabiliri volumus nec subito aboleri, μᾶλλον vero consequenter ac si nostri essent tenemus, eisque adsentimur. Et, cum plus quam cunctas hominum res Dei timorem honorare studeamus zelo pro Domino nostro Iesu Christo Deo nostro, * qui nos fecit et elevavit et glorificavit, dum concordiam gregis eius nobis et populo nostro salutem esse, et veritatis fundamentum quod non quatitur, et murum altum regni nostri persuasum habemus, propterea prudenter moti Christi ecclesiae unionem et concordiam offerimus, in omni regione imperii nostri, confirmationem et definitionem vitae humanitatis, fidem CCCXVIII episcoporum qui antiquitus a Spiritu sancto parati sunt et Nicaeam convenerunt; quam nos et omnes qui ante nos *fuerunt* tenemus et in quam credimus et baptizati sumus, ut ea obtineat

[1] Textus gr., qui a nostro valde discrepat, ap. EVAGR., III, IV, invenitur. — [2] Sic; cf. p. 143, l. 9.

et universas ecclesias cum canonibus earum probatis regat, quae omni religione et fide vera perfecta et completa est, et cunctas haereses respuit, et detegit et ecclesia pellit; quam CL episcopi qui hic convenerunt, contra eos qui cum Spiritu Domino sancto contendunt, ratam fecerunt cuique adhaeserunt et adsensi sunt, et *ea* etiam quae Ephesi gesta sunt a duobus conciliis quae cum summis sacerdotibus Caelestino et Cyrillo et Dioscoro Romae et Alexandriae *congregata sunt,* contra Nestorium haereticum, et contra eos qui post eum ei similiter opinati sunt et ecclesiae ordinem confuderunt, et mundi pacem turbaverunt et unionem disruperunt, Tomum Leonis dicimus et ea quae Chalcedone, vel definitione fidei, vel doctrina vel interpretatione vel additamento vel alio quolibet *modo,* contra fidem et definitionem trecentorum duodeviginti nuper [1] dicta ac gesta sunt. Ideoque mandamus ut vel hic vel in alio loco doctrina quae in horum scriptis invenietur anathematizata igne comburatur; quoniam talia * mandata reges beati qui ante nos *fuerunt* Constantinus magnus et Theodosius mandaverunt et statuerunt. Et confirmaverunt tantum fidem Nicaeae *datum* et definitioni verae quam fecerunt adsensae sunt et synodi tres quae post eos *congregatae sunt* CL episcoporum qui hic *convenerunt* et duae quae Ephesi. Anathematizamus autem quisquis non confitetur unicum Dei Filium per Spiritum sanctum et e Maria virgine revera incorporatum et inhumanatum esse neque de caelo specie vel phantasia [2] corpus cepisse, et cunctam doctrinam spuriam omnium haeresium quae contra fidem veram patrum nostrorum sunt. » Et cetera quae in Encycliis. His litteris Timotheus adsensus est *eis*que subscripsit, et Petrus Antiochiae et Paulus Ephesi, qui ab ἐξορίας vocati sunt, et episcopi Asiae et Orientis, et Anastasius Hierosolymorum et *episcopi* dicionis eius, ut invenirentur qui Encycliis subscribebant episcopi circa septingenti [3] plus minus; et Tomum Leonis et synodum anathematizaverunt, et ad Basiliscum et Marcum δέησιν miserunt [4] huiusmodi.

[1] Vel ‘insolite’. — [2] φαντασία. — [3] EVAGR. πεντακοσίων. — [4] Sc. episcopi Asiae, ut dicit Evagr. (e ZACH.), et ut a cap. seq. liquet. Nomen aut a syro nostro aut a scriba om. est.

CAPUT III QUOD DE δεήσεως EPISCOPORUM EX ASIA DOCET QUI EPHESUM CONGREGATI SUNT, ET ENCYCLIIS SUBSCRIPSERUNT, ET AD BASILISCUM ET MARCUM ITA SCRIPSERUNT. [1]

« Fideles et Christi amantes victores reges Basilisce et Marce Augusti, Paulus et Pergamius et Gennadius et Zenodotus et Zoticus et Gennadius et Theophilus et ceteri episcopi qui Ephesum congregati sunt. In omnibus rebus, reges fideles et Christi amantes, cum vera fides improbitate hominum persecutionem pateretur, cum ea passi esse visi estis. Homines *enim contumaces et superbi quorum mens corrupta est, et desipiunt et fide Dei Filii carent, qui pro nobis humiliatus est et inhumanatus et nos adoptione dignos reddidit. Ergo exsultate et gaudete, et laetamini, et laudate, quod digni redditi estis qui cum fide persecutionem patiamini [2]. His enim iudicium aeternum ignis devorantis reservatum est persecutoribus, et rectitudinis vestrae contra eos comminatio quod nos spreverunt et contempserunt et diffamaverunt et doctrinae suae adsentiri vi coegerunt. Iam vero, ubi fidei lux nobis orta est, et erroris caligo a nobis discussa est, maiestati vestrae et mundo universo fidem nostram veram in hac ἀναφορᾷ notam facimus nos libertate et adsensu voluntatis nostrae et auxilio ducis nostri evangelistae Iohannis his Encycliis [3] subscripsisse, et his et omnibus quae in eis *sunt* sine vi et metu et gratia hominum adsentimur, et, si quando iterum vis nobis a quoquam adhibebitur, ignem et gladium et ἐξορίαν et direptionem contemnere, et cunctas corporis passiones spernere parati sumus, et fidem veram sequi, cum anathematizavimus et anathematizamus ea quae Chalcedone *facta sunt* et Tomum Leonis, quae sanguinis multorum effundendi et confusionis et tumultus et perturbationis, et toti mundo discidiorum et contentionum causa fuerunt. Sufficit enim nobis doctrina et fides apostolorum [et] [4] patrum nostrorum sanctorum CCCXVIII episcoporum, quam secuti sunt et ratam fecerunt concilium venerandum CL *episcoporum* quod in urbe regia, et duae ceterae synodi sanctae quae Ephesi *congregatae sunt*; et cum eis Nestorium anathematizamus, et quisquis non confitetur unicum Dei Filium e *Spiritu sancto et e Maria virgine incorporatum esse, et

*p. 214. — *p. 215.

[1] Excerpta ab Evagr. (III, v) dantur. — [2] MATTH., V, 12. — [3] Vox hic fem. sing. est, infra masc. plur., et p. 149, l. 12, fem. plur. — [4] In ms. excidit.

hominem perfectum factum esse, simul autem mansisse eundem sine mutatione Deum perfectum, neque e caelo specie vel φαντασίᾳ incorporatum esse, et ceteras omnes haereses ». Scripserunt vero et alia [1] et φωνὰς clamaverunt et laudaverunt. Fecerunt autem et ἀναφορὰν aliam et ceteri etiam episcopi regionum cuius initium ita se habet : « Consensu animi CCCXVIII patribus nostris episcopis maiestatem vestram undevicesimam *additam* tenemus, qui fidem eorum veram inter omnes populos in dicione vestra celebrari et proclamari studueritis ».

CAPUT IV EIUSDEM LIBRI V NARRAT QUAE POST ENCYCLIA CONSTANTINOPOLI ET EPHESI ACCIDERUNT.

Cum regis litterae huiusmodi encycliae omnibus notae essent monachi qui in urbe regia adfuerunt qui ut Eutyches censebant ad Timotheum confluxerunt, cum de eo putarent eum cum eis consentire, et de eis quae in Encycliis scripta sunt quae anathematizant quicunque dicit Christum specie incorporatum esse cum eo contendebant. Et, cum eis dixisset « Vos autem quomodo de incorporatione censetis ? », annuli exemplum ei protulerunt cuius impressionis nulla pars in cera vel luto maneat. Et, postquam mentem eorum cognovit, eos commonuit et certiores fecit in omnibus rebus Scripturas nos docere Christum nobis similem factum esse, et perfecte connaturalem exceptis peccati motibus, *et supra naturam quidem natum esse sine coitu, verumtamen hominem perfectum factum, et in ipsa virgine Maria conceptum et ex ea natum, per Spiritum sanctum, et eundem sine mutatione mansisse Deum qui incarnatus esset. Et, cum omni sermone eorum qui ad eum commeabant didicisset Timotheus quid censerent, ipse in epistulis quas scribebat Christum in eis quae ad humanitatem pertinent nobis in omni re similem esse docebat et scribebat. Et deinde monachi eius urbis ab eo secesserunt, et dicunt : « Cum Alexandrinis societatem non habemus ». Et ceteri reliqui, qui eum cum Eutychis opinione non consentire cognoverant, ei adhaeserunt. Et qui eutychianistae facti erant sodalibus suis additi sunt, et Zenonae [2] quae fidem eorum participabat regis Basilisci uxori

*p. 216.

[1] Quae e ZACH. ab Evagr., ed. BIDEZ et PARMENTIER, p. 105, l. 16-28, citantur apud nostrum desunt. — [2] Sc. Zenonidi.

suaserunt ut Timotheus iterum relegaretur. Et, cum didicisset Theoctistus μάγιστρος id quod ei fieri futurum erat, eum adhortatus est ut urbe exiret et se Alexandriam statim conferret. Et exiit; et, cum abiisset et Ephesum pervenisset, synodum congregavit, et Paulum, qui episcopus ibi fuerat, et illo tempore relegatus erat, quia Chalcedonis *decreta* non accepit, inthronizavit; et iura sedis eius quae concilium Chalcedonis ei eripuit, et throno [1] urbis regiae adsentatione dedit ei canonice restituit. Et Alexandriam se contulit; et pompa magna cum facibus receptus est itemque cantibus ab hominibus omnium ordinum et linguarum eius urbis, etiamque a parte Pretorii, qui urbis erga virum dilectionem viderunt. Τάγμα vero sacerdotum et monachi et sorores in Christo, et totus plane populus cantando dicebant: « * Benedictus qui venit in nomine Domini » [2]; eumque in ecclesiam magnam introduxerunt, quoniam Timotheus φακιολίου trementis regis mandato ante eum recesserat. Et, quoniam vir mitis fuit ac lenis, et sermonibus etiam humilis erat, neque iracundus erat, Pretorii fautoribus tempus paenitentiae remisit, quod ab ἐξορίας de paenitentibus ab ei scriptum et definitum erat [3], et Prolatium (?) [4] illum qui eum a fonte baptismi abstraxit similiter iucunde et pacate recepit, cum fleret et de eis quae praesumptione audacter in eum fecerat eum confirmaret. Talis enim ecclesiae rectorum ordo est, dilectio erga proximos quae 'non quaerit suum', et 'non irritatur' [5], quam Timotheus erga multos factis ostendit. Nonnulli vero qui iura dilectionis divinae nesciebant se ab eo separaverunt, propter modestiam eius et humilitatem erga eos quos paenituit, nec [6] quidquam ab eis postulavit nisi ut synodum et Tomum anathematizarent, et fidem veram confiterentur, et quia ne paulum quidem tempus eos a societate ⌜qua privati [7] erant separavit. Et caput eorum erat Theodotus [8] Ioppae episcopus, qui ante hoc tempus a Theodosio creatus erat, e quo invidia commotus est quia ipse etiam non ad sedem suam rediit et receptus est. Et en! Petrus celeber, iberus, Gazam non reversus est, nec talia censuit, sed et viro amore adhaesit, et mores eius

[1] θρόνος. — [2] MATTH., XXI, 9. — [3] Supra, p. 142. — [4] Corrigendum fortasse περιοδεύτην vel 'parabolanum'. Si nom. propr. est, melius esset 'Probatium'. — [5] I *Cor.*, XIII, 5. — [6] Sic syr. [7] Vel '*de* qua secti' (vide textum, II, 130, l. 26). Excidit fortasse [illegible]. — [8] Ms. 'Theodoretus' (vide p. 151, l. 2).

ac gesta Dei voluntati congruere persuasum habebat. Adeo autem desipuerunt ἀποσχισταὶ qui cum Theodoto *erant* ut * eos etiam denuo ungerent; et vocabantur anachristonovatiani. Dilectio vero populi erga Timotheum crescendo augebatur, quia ossa Dioscori et Anatolii fratris eius secum in theca argentea regis mandato attulit, quam cum pompa sepelivit et in loco episcoporum deposuit, eum ut confessorem veneratus. Et viri dilectio adeo abundabat ut ipse sponte sua statuerit ut Timotheo qui expulsus erat denarius unus per diem in impensam et usum ex ecclesia daretur, cum ipse manuum suarum labore nutriretur eo quod σπυρίδας texebat et vendebat et primoribus ac principibus urbis dabat; et in unamquamque earum munus tria παξαμάτια imponebat; et ipsi regi Basilisco et patriciis ita solum mittebat. Et tempore quodam, ubi πρακτήρ cum regis litteris ad eum advenit, ita ei dedit. Et respondit ille et dixit: « Denariorum munere mihi opus est ». Et dixit ei: « Haec ad impensas orphanorum et viduarum ecclesiam conferre oportet ». Δῆμος vero, qui ὕπαρχον [1] eius urbis nomine Boetium (?) eutychianistam esse didicit, in ecclesia clamaverunt [2]: « Papa, dic, 'Anathema Nestorius et Eutyches' ». Et statim eos sermone vivo coram ὑπάρχῳ anathematizavit; et vir ab hac suspicione liberatus est, ὕπαρχον cum eo ut eutychianista societatem habere. Et haec Alexandriae gesta sunt.

CAPUT V EIUSDEM LIBRI V DE EIS INDICAT QUAE PARAVIT ACACIUS CONSTANTINOPOLIS, ET DE ANTENCYCLIIS, ET DE PETRO ET PAULO ANTIOCHIAE ET EPHESI, QUI *CUM ZENO REX REDIISSET ET BASILISCUS EXPULSUS ESSET ITERUM AMOTI SUNT.

Acacius autem Constantinopolis, cum de Paulo Ephesi didicisset sedis eius dicionem ut antiquo tempore *erat* ei a Timotheo adiudicatam esse, et Petrum Antiochiam reversum esse, eosque synodum contra eum Hierosolymis facere parare eumque amovere et loco eius Theopompum fratrem μαγίστρου constituere, monachos excitavit eosque adhortatus est et Danielem [3] columna deduxit, et ecclesias occupavit et seditionem contra Basiliscum fecit eo quod dixit, « Haereticus est ». Et coactus est Basiliscus

[1] Sic ubique. Requiritur ἔπαρχος. — [2] Sic syr. — [3] Vide vita meius apud *Anal. Boll.*, XXXII, 121.

qui cum his *rebus* audiverat etiam Zenonem cum exercitu magno rediisse, et Antencyclia fecit, et litteras suas priores rursus abrogavit. Et, cum Zeno reversus esset et Basiliscus expulsus esset, νόμον statuit ut abrogarentur omnia quae Basiliscus fecerat. Petrum autem Antiochiae[1] et Paulum Ephesi[2] relegavit, et in Timotheum minas multas fecit. Verumtamen obiit eo quod ad Dominum suum recessit, et pompa magna humatus et sepultus est a Petro qui post eum canonice creatus est ab episcopis χώρας. Episcopi vero Asiae libellos[3] ad Acacium fecerunt, in quibus Encyclia reprehenderunt, et Antencycliis similiter subscripserunt. Et Orientales libellos[3] ad Calandionem fecerunt, qui Petro successit, et ipsi quoque etiam Encyclia anathematizaverunt. Anastasius autem Hierosolymorum in constantia sua perstitit, dum Palaestinae tres provincias tenet, neque his *rebus* obsecutus est, neque Encyclia abiuravit, quamquam etiam cum episcopis qui ad eum commeabant simpliciter communicabat. Ita et Epiphanius Magdali * Pamphyliae ipse ob magnanimitatem suam Alexandriam recessit et in monasteriis eius urbis degebat, et a Timotheo et Petro successore eius honorabatur. Cum vero Zeno rex de Petro didicisset, valde iratus est, et minas misit, quas antea didicit; et delituit in ipsa quidem urbe, dum de domo in domum migrat. Mandato autem regis Zenonis Timotheus φακιολίου trementis qui expulsus erat reversus est et ecclesiam magnam recepit; et introitu eius facta est στάσις et caedes. Et Theoctistus[4] urbis ὕπαρχος Petrum quaerebat ut eum adprehenderet; et vox audita est quae dixit: « Celabo eum, et protegam eum. Quoniam nomen meum cognovit me invocabit eumque exaudiam. Die tribulationis eum corroborabo, eumque honorabo »[5]. Timotheus vero omnibus modis ac rationibus populum sibi devincire studebat; et fidem Nicaeae et CL *patrum* proclamabat; et ea quae Ephesi gesta sunt confitebatur eisque adsentiebatur; et Nestorium anathematizabat; et in diptycho quando legebat nomina Cyrilli et Dioscori inscripsit; et alia etiam faciebat, nec populum ad se adlicere potuit.

* p. 220.

[1] Ms. 'Ephesi'. — [2] Ms. 'Antiochiae'. — [3] λίβελλοι. — [4] Legendum fortasse 'Theognostus' (cf. p. 154, l. 31); LIBERAT., (XVI) 'Anthemio'. — [5] *Ps.* XC, 14, 15.

CAPUT VI EIUSDEM LIBRI DE MARTYRIO, QUI HIEROSOLYMIS ANASTASIO SUCCESSIT, INDICAT, EUM ETIAM FIDEM VERAM POPULO PROCLAMASSE, ET NESTORIUM ET SYNODUM CHALCEDONIS ANATHEMATIZAVISSE.

Et Martyrius item Hierosolymorum ipse quoque inter eos fuit qui post Anastasium decessorem suum se [ab][1] Antencycliis separavit[2] et populum concordem reddere multum studebat. Et Marcianum monachum quendam bonum oravit; et hic, cum accepisset, socios suos admonebat; *et qui eum non receperunt eiecit. Et ferunt, postquam mortuus esset, discipulum eius — et vir fuit lumine captus — Deum oravisse: « Si magister noster bene censebat, ubi oculos meos cadaveri eius applicabo, lumen accipiant »; et acceperunt.

* p. 221.

Προσφώνησις Martyrii.

« Christus 'pax nostra est qui duo unum fecit, et maceriam quae in medio *erat* solvit, et inimicitiam in carne sua abolevit'.[3] Ecce! enim ecclesia filios suos rursus accipit qui nunquam sponte sua ab ea distabant, et hoc iam facto nobis *ostenderunt*. Et tempus est nobis dicere: 'Gloria Deo in excelsis, et pax super terram'.[4] Quapropter praesentibus episcopis Dei amantibus hos verecundos archimandritas et eximios clericos recepimus[5], ut ceteris fratribus nostris coram vobis persuadeamus nos definitionem fidei firmam non habere nisi eam in qua baptizati sumus et baptizamur; ipsi enim etiam ita baptizati sunt et ut nos credunt. Quisquis ergo huic fidei definitioni CCCXVIII patrum nostrorum sanctorum episcoporum qui Nicaeae *congregati sunt* contraria sentit, quam secuti sunt et confirmaverunt cuique adsensi sunt et CL episcopi qui in urbe regia *convenerunt* fideles et veri, et synodus quae Ephesi *habita est*, aut sensit aut docuit[6], anathema sit, si aliam doctrinam vel disciplinam habet quae in variis locis facta est, sive Arimini sive Sardicae sive Chalcedone, sive alibi, ut dicit apostolus: 'Si quis vobis proclamabit plus quam quod vobis *proclamavimus*, anathema sit'.[7] » Et idem porro * ita dixit: « Si quis huic doctrinae probatae et orthodoxae fidei horum sanctorum CCCXVIII, et CL episcoporum, et eorum qui Ephesi *convenerunt*

* p. 222.

[1] In ms. excidit. — [2] Sic syr. — [3] *Eph.*, II, 14. — [4] *Luc.*, II, 14. — [5] Ita correxi. Textus corruptus est. — [6] Ms. 'didicit'. — [7] *Gal.*, I, 8.

contrarium quidquam docet aut noviter profert aut sentit, aut interpretatur, aut aliam definitionem vel fidem habet, hic sanctae ecclesiae alienus est. Et en! coram Deo et Christo eius, et Spiritu sancto et electis angelis vos obtestor[1]; ne quis vos ab hac fide declinare faciat. Confessio autem chirographo vestro en! superne est in caelo; et coram βήματι terribili iustitiae rationem reddetis, si fidei additamentum aut deminutionem accipietis. A sanguine vestro purus sum. Vobis dicere non abstinui ».

Talibus *verbis* utebantur episcopi, et admonebant eos qui se ab eis separaverunt. Alexandriae autem nemo e fidelibus cum Timotheo et eius adseclis societatem inire adnuebat. Monachi vero et diserti quidam ac prudentes consilium ceperunt, et urbis principibus ἔντευξιν fecerunt, et oraverunt ne, si moriturus esset Timotheus, alium quemquam ex eius fautoribus episcopum rursus acciperent, sed ut sufficeret eis Petrus fidelis, qui ut *fieri* oportet episcopus factus erat et latebat. Et, cum Timothei fautores haec audiissent, regi δέησιν fecerunt, et per Iohannem quendam martyrii Mār Iohannis Baptistae presbyterum monachum; itemque tiberinosiotam[2] miserunt, et in ea oraverunt ne, si moriturus esset Timotheus, episcopus eis ullus fieret nisi e parte eius, neve Alexandrini Petrum reciperent. Et, cum *regi visus esset, quasi eum tentaret, dixit ei: « Bonum est in oculis nostris ut tu ibi episcopus fias ». Antea enim didicerat rex eum Iulio[3] στρατηγῷ adhaerere qui seditionem in regem parabat cum Leontio et Euprepio[4]; quoniam ipse regis exercitibus imperabat. Et id ipsum Iohannes Iulio revelavit. Et dixit regi: « Haud dignus sum ». Et eum consilium capere iussit. Et, cum Iulium docuisset, dixit ei: « Propositum tuum cela, neve id coram regi revelaveris ». Et coram Acacio et συγκλήτῳ iuravit se nunquam fore episcopum. Et rex mandatum fecit idque Iohanni dedit, ut post Timotheum is fieret episcopus quem clerus eius et urbis populus elegisset. Et, cum urbem pervenisset, epistulam a Iulio Theognosto urbis ὑπάρχῳ dedit, qui et ipse Iulio conscius factus erat; et promisit, si episcopus futurus esset, se vestes[5] regias daturum quas Arcadius rex dedicavit et Theophilo illius temporis episcopo

* p. 223.

[1] 1 *Tim.*, v, 21. — [2] Sc. tabennesiotam (LIBERAT., XVI). — [3] Sc. Illo. — [4] Sc. Pamprepio. — [5] Vel. 'vasa'.

obtulit, et ecclesiam ibi aedificavit, eamque nomine eius nominavit.

CAPUT VII EIUSDEM LIBRI V DE IOHANNE INDICAT QUI MENTITUS EST, ET PRETIUM DEDIT ET EPISCOPUS POST TIMOTHEI MORTEM FACTUS EST; ET DE CYRO QUODAM PRESBYTERO QUI EI ADHAESIT, ET QUOMODO PETRUS AD SEDEM SUAM REDIERIT.

Timotheus, cum paucos dies vixisset, mortuus est; et Iohannes Theognosto ὑπάρχῳ pretium obtulit, et iuramentum suum violavit et episcopus factus est. Cyrum vero quendam presbyterum ad se adlexit eorum qui aliquando Dioscoro adhaerebant, et is etiam eum reliquit cum principatum exoptaret, et modo Acacio Constantinopolis se adiunxit, modo *huic Timotheo qui mortuus est; et aliquando Timotheum magnum et Petrum successorem eius illudebat et vituperabat. Et Alexandrini eum ob mutationes irridebant, et in platea dactylos immaturos ei ostendebant, eumque de matrona (?) conviciis adficiebant. Hunc exsecratus Dioscorus beate mortuus ei dicit: « Fidelis est Deus, quod Cyrus vir laicus morietur »; et ita ei accidit, ut infra scriptum est. Rex vero, cum haec de Iohanne audiisset, indignatus est, quia iuramentum suum violavit et episcopus factus erat. Erant autem illo tempore Constantinopoli monachi probati, qui de Petro orabant, et calamitates quae Alexandriae et in Aegypto et in ceteris regionibus finitimis propter synodum identidem acciderunt litteris de eis *scriptis* ei[1] ostendebant. Et rex eos recepit et mandatum fecit ut Iohannes sede sua ut mendax pelleretur, et Petrus ad ecclesiam rediret, hoc est, si Henotico subscripturus esset quod scripsit Zeno et illuc et ad Aegyptum et ad Pentapolim misit, et ceteros episcopos recepturus esset qui Henotico adsensuri essent, et cum eis societatem initurus, et qui ibi pretoriani vocabantur, qui et ipsi confitebantur se ea sentire quae in Henotico *sunt*; quod Acacii episcopi consilio factum est et per Pergamium ὕπαρχον missum est, qui Alexandriae pro Theognosto nuper constitutus erat; qui, cum ad urbem pervenisset, rem sapienter curavit. Iohannem enim fugisse invenit; et Petrum quaesivit, eumque de eis quae rex mandaverat certiorem fecit; et

* p. 224.

[1] Zenoni (p. 156, l. 36). Excidit fortasse aliquid.

Henoticon ei ostendit, et dixit: « Oportet te, cum id exploraveris, ei subscribere et adsentiri, dum * episcopos et ceteros qui a parte Pretorii *venient* absque ulla malitia recipis, si ipsi omnibus quae rex in Henotico mandavit adsentientur ». Et, cum Petrus ea quae in ipso scripto *erant* intellexisset, omni iustitia fideliter mandatum esse invenit; dubitabat vero quia non clare et expresse anathematizata est in eo synodus et Tomus, propter populum ne offenderentur. Verumtamen id accepit, quia fidei definitionem trecentorum duodeviginti [accipiebat][1] et proclamabat, et veritatem CL episcoporum confitebatur, et Cyrilli duodecim capitibus adsentiebatur, et Nestorium et Eutychem anathematizabat, et Christi e Virgine corpus nobis connaturale factum esse confitebatur; eique subscripsit, et promisit porro, si et ceteri homines paenitentia usuri essent, et omnia quae in Henotico essent recepturi et populo persuasuri, se eos de omnibus ταγμάτων in societatem accepturum. Et congregati sunt ad eum ubi erat ὕπαρχος et dux et primores eius et clerus, et monachi, et sorores, et populus fidelis, eumque bigae imposuerunt; et, cum pompa deduceretur et laudaretur, utpote qui fidei veritatem custodiret, et ante eum ministrarent, eum ad ecclesiam magnam duxerunt. Et Pergamius eum adhortabatur ut ceteros qui de illa parte *erant* acciperet. Is autem primo interpretationem sensus scripti Henotici populo proclamavit, idque explanavit eo quod dixit: « Bene ac fideliter scriptum est eo quod Cyrilli capita duodecim accipit et Nestorium et Eutychem anathematizat, et Christi e Virgine corpus nobis connaturale esse confitetur, et eiusdem Christi Dei esse passiones in carne et miracula quae fecit, [et][1] ipsum scriptum omnem opinionem * Chalcedonis et Tomum infirmat ac vituperat; quoniam Dioscorus etiam et Timotheus magnus talia opinati et interpretati sunt. » Et populo porro προσφωνῆσαι fecit ita: « Nos omnes cum mulieribus et liberis eloquentia gratiarum actionis preces atque orationem Domino et Deo nostro offerre oportet pro regno fideli Zenonis regis victoris, quod ipsa gesta pulcra et exempla virtutum eius prudentes omnis regionis ad hoc exhortantur. Cum enim patres nostri verecundi monachi petitionem ei de fidei correctione obtulissent, et quae

[1] In ms. excidit.

hic identidem turbulenter eveniunt eum docuissent, nobiscum doluit et flevit, et caelum intuitus est; et Deum invocavit [ut] eum adiuvaret, et *id* in mentem eius imponeret, ut Dei voluntati consona in lucrum generis humani et populi concordiam mandaret, cum offensas quae propter ea quae [Chalce]done audacter novata et per additamentum facta sunt cunctis ecclesiis fuerant abolere studeret. Et in his litteris fidelitatis eius quae iam coram vobis recitabuntur, et auribus vestris audientur, filii dilecti, lux rectae fidei patrum nostrorum sanctorum nobis nimirum [orta est]; quoniam, cum in his *litteris* fidem veram confiteatur et beati Cyrilli capita duodecim accipiat, et Nestorium et Eutychem anathematizet, [et] Deum Verbum qui incarnatus sit, passiones et miracula, unam esse naturam proclamet, omnem opinionem diphysitarum respuit; quoniam doctrina eorum et Tomi his *rebus* contraria est; contra quos patres nostri sancti Dioscorus et Timotheus veri Christi martyres ἀγῶνα fecerunt. Sed orate pro eo, *ut Dominus noster in vero typo dilectionis et fidei eius eum custodiat. Speramus enim misericordia Christi Dei nostri, cum laudes precesque vestrae ab eo audientur, eum nihil nobis omissurum eorum quae ab eo posthac iuste rogabimus, sed petitionem vestram libenter accepturum, et rogationibus vestris responsum daturum. Audite litteras venerandas Henotici, quas fideliter mandavit, quae nunc coram vobis recitabuntur ».

ITEM CAPUT VIII QUOD *EST* HENOTICON ZENONIS.[1]

« Αὐτοκράτωρ Caesar Zeno rex fidelis victor, victoria illustris, maximus venerandus perpetuo Augustus, episcopis et populis qui Alexandriae sunt et in Aegypto et in Libya, etiamque in Pentapoli. Initium et statum et potentiam invictam maiestatis nostrae scimus esse fidem quae sola recta est etiamque vera, quam per afflatum divinum statuerunt quidem qui Nicaeae congregati sunt CCCXVIII patres sancti, firmaverunt autem eodem modo qui Constantinopoli quoque convenerunt CL patres sancti, dum noctu ac die precibus continuis et studio et νόμοις utimur, ut per eam ecclesia sancta catholica et apostolica quae ubique

[1] Graece (de ZACH.) ap. EVAGR., III, XIV; latine ap. LIBERAT., XVII.

est augeatur, quae sceptri maiestatis nostrae mater incorruptibilis atque indissolubilis est, ut populi fideles, dum in pace ac concordia erga Deum perseverant, pro maiestate nostra preces acceptas offerant, cum *sacris sanctisque episcopis [et][1] clericis Deum timentibus et archimandritis et monachis. Cum enim Deus magnus ac Salvator noster Iesus Christus, qui etiam e Virgine sancta ac Deipara Maria incorporatus est, glorificationem et culturam consensu *factam* laudat [et][2] libenter accipit, γένη quidem inimicorum peribunt et delebuntur, cuncti autem homines imperio nostro quod post Deum *est* cervicem suam inclinabunt, pace et bonis quae ex hac *oriuntur* et aeris[3] mixtura pulcra et fructuum ubertate et omnibus *rebus* quae hominibus utiles *sunt* large datis. Ita igitur, cum fides immaculata nos et res Romanorum conservet, ab archimandritis Deum amantibus, et aliis quibusdam eremitis petitiones nobis oblatae sunt, qui cum lacrimis exorabant ut unio sanctarum ecclesiarum fieret, et membra membris coniungerentur, quae osor *rerum* bonarum iampridem separare festinat, eo quod, si cum corpore ecclesiae perfecto pugnaturus esset, se victum iri cognoverat. Accidit enim generationes innumeras quas tot vitae annis tempus removit alias quidem lavacro regenerationis privatas abiisse, alias autem, cum communione divina non participaverint, ad exitum a *rebus* humanis inevitabilem deductas esse, et caedium myriadas *praesumptas, et copia sanguinis pollutam esse non solam terram, sed iam etiam et ipsum aera[3]. Haec quis est qui non oraret ut in bona mutaremus? Hac igitur de causa scire vos studuimus et nos et sanctas ubique orthodoxorum ecclesias, et sacerdotes Dei amantes qui eas gubernant, aliud symbolum aut doctrinam, aut fidei regulam, aut fidem praeter id quod supra dictum est symbolum sanctum CCCXVIII patrum sanctorum, quod firmaverunt qui hic convenerunt, CL patres, non habuisse neque habituros, nec quemquam habere cognovisse, et, si quis tenet, alienum eum aestimare. Hoc enim solum, ut diximus, maiestatem nostram custodire confidimus, et omnes populi qui baptismum salutare merentur cum hoc tantum accipiunt baptizantur; cui

[1] In ms excidit; e MICH. addidi. — [2] In ms. excidit; e gr. et lat. addidi. — [3] ἀήρ.

adhaeserunt et omnes patres sancti qui Ephesi congregati sunt, qui impii Nestorii etiam καθαίρεσιν fecerunt et eorum qui post eum sicut is opinabantur. Quem eundem Nestorium cum Eutyche, utpote qui eis quae dicta sunt contraria opinati sint, anathematizamus, dum recipimus etiam duodecim capita quae a memorabili et Dei amante *Cyrillo dicta sunt, qui ecclesiae catholicae Alexandriae episcopus fuit. Confitemur autem unicum Filium Dei et Deum, qui vere inhumanatus est, Dominum nostrum Iesum Christum, qui deitate Patri connaturalis est, et idem humanitate nobis connaturalis, qui descendit et e Spiritu sancto et e Maria virgine deipara incorporatus est, unum esse Filium, nec duo factum esse. Unius enim unici Filii Dei dicimus esse miracula et passiones quas sua sponte in carne toleravit. Eos enim qui separant aut confundunt, aut phantasiam[1] introducunt prorsus non recipimus; quoniam incorporatio e Deipara vera et peccato carens Filii additamentum non fecit. Mansit enim Trinitas [Trinitas][2] etiam quando unus e Trinitate Deus Verbum incorporatus est. Scientes igitur nec sanctas ubique orthodoxorum ecclesias, neque eos qui eas gubernant sacerdotes Dei amantes, nec maiestatem nostram symbolum aliud aut regulam fidei praeter dictam doctrinam sanctam non[3] recepisse aut recipere, concordes estote, haud dubitantes. Haec enim scripsimus, non quod fidem novamus, sed quod vobis persuademus. Quisquis autem aliud quidlibet opinatus est aut opinatur nunc aut aliquando, aut Chalcedone aut in alia quolibet synodo, anathematizamus, praesertim dictos Nestorium et Eutychem, et qui sicut ei opinantur. Coniungimini igitur *matri spiritali ecclesiae, communione divina nobiscum in ea delectati, secundum regulam fidei, quae una sola est, praedictam eorundem patrum sanctorum. Mater enim nostra sanctissima ecclesia ut filios dilectos vos exspectat ut vos amplectatur, et vocem vestram dulcem post longum tempus audire exoptat. Festinate igitur vosmetipsos. Hoc enim facientes, et Salvatoris nostri Christi Dei nostri benignitatem ad vos attrahetis, et a nostra ipsorum maiestate laudabimini ».

CAPUT IX EIUSDEM LIBRI V DE ἀποσχιστῶν.

His *rebus* ita gestis, fervidorum nonnulli moleste tulerunt,

[1] φαντασία. — [2] In ms. excidit; e MICH. addidi. — [3] Sic syr.

quia in ipso etiam scripto Henotici regis anathema eorum quae Chalcedone per additamentum acta sunt expresse non erat. Verumtamen omnes Petri societate utebantur propter defensionem eius erga se *factam*, et praesertim quod dixit « Rex nihil nobis omittet eorum quae ab eo rogabimus ». Cum viderent reliqui pretoriani ea quae gerebantur, ad προάστειον iuxta urbem *situm* quod vocabatur Canobus abierunt, et φωνὰς indecoras clamabant. Pauci enim et obscuri *erant* hi, eisque praefuerunt ἀναγνῶσται, et Cyrus presbyter de quo diximus eum Dioscoro olim adhaesisse eumque reliquisse. Et, cum haec audiisset Pergamius, Cyrum adduxit et cum eo locutus est; et *id quod ei dictum est facere adnuit. Et reversus est eisque qui cum eo Canobi *erant* studiose dixit: « Oportet nos cum sociis nostris concordes fieri, et regis mandato obtemperare ». Et cum audiissent sacerdotes acres fideles qui cum Petro *erant* multum turbati sunt, et Cyri societatem etiam detrectabant. Et, cum multos eorum qui cum eo *erant* recepissent qui Henotico subscripserunt, et quicunque extra ea quae in eo *dicta sunt* opinaretur anathematizaverunt, Cyrum detrectaverunt, [et,][1] cum ipse etiam subscripsisset, eum non receperunt, eo quod Pergamio dicunt: « Facies eius suffi. 't ut facta eius populo in memoriam revocet et multos offendat ». Et mansit Cyrus laicus, et ita mortuus est, secundum maledictum sancti Dioscori. Et omnes pariter cum Petro communicabant, et Petrus iberus vir mire celeber, et Isaias monachus πρακτικός[2], et ceteri Palaestini beati quidam monachi *monasteriorum* Romani et Theodori. Et Petrus Alexandriae episcopus Paulum qui vocabatur Arcadius de rebus nonnullis quae correctione *egerent* ad regem misit. Iohannes vero qui episcopus factus est qui Romam recessit ibi et flebat et Simplicio patriarchae quae ei acciderunt indicabat dicens propter Tomum et synodum se in κίνδυνον pervenisse. Et, cum rex audiisset, ad eundem ipsum Simplicium per Uranium πρακτῆρα epistulas fecit, in quibus eum omnem pravitatem et mendacia Iohannis docuit, et mandato suo propter populi concordiam Petrum ibi Alexandriae constitutum esse episcopum indicavit. Calandion *autem Antiochiae, cum quae Alexandriae *facta erant*

* p. 232.
* p. 233.

[1] In ms. excidit. — [2] Marg. 'miraculorum actor'.

didicisset, turbatus est et ad Acacium et ad Zenonem regem scripsit, et ad Simplicium etiam Romae, dum Petrum moechum vocat, et Tomum et synodum laudat, potius et Nestorium benevole habebat, ob id quod in litteris suis Cyrillum stultum vocabat[1]. Verumtamen, quoniam Iulium et Leontium et Euprepium adiuvabat, qui in regem Zenonem seditionem fecerunt, et tandem in Oriente [occisi sunt][2], loco suo pulsus est, et, regis mandato, Petrus ad sedem suam rediit, qui pro fidei veritate semel et bis ἀγῶνα fecit; et Antiocheni eum pompa magna et laudibus receperunt quasi Simonem Cepham. Et synodum etiam dicionis suae congregavit, et divisos concordes reddidit et adunavit, et correctiones fecit. Synodus autem quam congregavit Petro Alexandriae epistulam concordiae canonice scripsit ita.

CAPUT X EIUSDEM λόγου V DE EPISTULA SYNODICA DOCET QUAE A CONCILIO ANTIOCHIAE DIEBUS PETRI URBIS EPISCOPI *CONGREGATO* AD PETRUM ALEXANDRIAE SCRIPTA EST.

« Pater noster Dei amans sancte archiepiscope Petre, synodus quae Antiochiae congregata est. Iesus Bar Nun στρατηγός, mysteriis Iesu Christi Dei nostri amictus, propter dicionem tribus Ruben[3] et Gad et Manassis anxietate ac sollicitudine oppressus est, an secundum Mosis mandatum, qui ei principatum commisit, Iordanem armati cum fratribus suis in terram promissionis quam hereditaverant transituri essent eosque *bello adiuturi, donec Deus ibi fratres eorum sicut eos pace relaxaret[4]. Ita et prudentiam tuam, *vir* sacer, curam habere iudicamus, an nos etiam Antiochiam armati perventuri simus, donec et fratres nostri orientales ecclesiarum suarum a Deo hereditatem hereditent. Et sumus episcopi ex Arabia, et 'Libano Phoenices'[5] et Syria secunda, et Euphratesia et Cilicia, qui ob causam laborum et ἀγώνων qui nobis acciderunt pacem exoptamus, et regis sereni litteris ut Antiochiam congregemur nunc vocati sumus. Et haec tibi indicabit et filius tuus dilectus et clarus Uranius πρακτήρ, qui, regis voluntatem et mandatum exsecutus, nobis litteras quoque explanavit et ostendit quae ab eo ad sanctitatem tuam et τάγμα

* p. 234.

[1] MANSI, IV, 893 (?). — [2] In ms. excidit. — [3] Syr. 'Rubhil'. — [4] *Ios.*, I, 13-15. — [5] Sic syr. pro 'Phoenice Libani'.

monachorum verecundorum et populum fidelem scriptae sunt. Cum vero convenissemus et a patre nostro fideli Petro patriarcha debitis dilectionis divinae recepti essemus, qui nobis suavitatem et humilitatem perspicue ostendit, de omnibus rebus ei concordes facti sumus et is nobis, et in spiritus ministerio consociati sumus, et a populo quoque urbis eius honorati sumus, qui gaudio et laetitia, et laudis [1] acclamationibus viro occurrit eumque excepit, dum *eum* ut Petrum Cepham ducem nostrum apostolum glorificat. Ea vero quoque quae in urbe regia *facta sunt* nobis indicata sunt, e dicione sancti archiepiscopi Acacii mandato regis congregatos esse, et concordia eorum cum eo et alius cum alio; qui etiam ipse beatitudini tuae scripsit, dum voluntatem regis fidelis ostendit et explanat, et quae in litteris eius venerandis Henotici *continentur*, * quae omni veritati fidei patrum nostrorum sanctorum Nicaeae *congregatorum* consona sunt, cui et centum quinquaginta qui in urbe regia *convenerunt* adhaeserunt, quamque confirmavit quoque concilium Ephesi quod diebus Caelestini et Cyrilli *habitum est* qui duodecim capitibus cunctam fraudem doctrinae ipsius Nestorii et Eutychis et ceterarum haeresium detexit et anathematizavit. Haec ergo Aegyptios cum Orientalibus concordes reddiderunt, μᾶλλον autem omnes qui ubique pacem amant et concordiam et fidem veram diligunt. Et credimus et compertum habemus sanctitatis tuae studium et preces haec populo ubique fideli parasse, voluntate Domini et Dei nostri Iesu Christi; et imploramus eum ut vitam verecundiae tuae nobis custodiat, virtutibus fulgentis et eis in Domino nostro gaudentis quae introitu fratris tui venerandi et patris nostri verecundi hic gesta sunt, studio huius filii tui Uranii, quem dilectioni tuae divinae commendamus, ut regi fideli gratiarum actionem scribas quod mandato eius e totis viribus suis inservit et obsequitur, et Christi ecclesias concordes reddere studet, et filiis eius dilectis pacem donare. »

* p. 235.

CAPUT XI, Epistula item Acacii Constantinopolis ad Petrum Alexandriae.

Acacius, cum de voluntate sua priore destitisset quae synodum adiuvabat et ea quae in Henotico *erant* dilectione et adsensu habuit, et ipse etiam Petro Alexandriae scripsit ita :

[1] Ms. ' ministerii '.

« Sacer et Dei amans comminister noster frater noster Petre, Acacius salutem. Nomen quidem pacis gratum *est*, res autem dulcissima. Cum vero de concordia et fide * ecclesiae perficitur, gratiam magnam prudentibus magis dat, et laetitiam magna praedicantem in eis efficit. Et, cum ecce! in coetibus urbis nostrae gaudiis huiusmodi delectaremur, nuntii de fide tua ad nos pervenerunt nosque excitaverunt, et multos monachos verecundos qui hic *sunt* commoverunt et perturbaverunt, et populum et clerum nostrum eximium. Verumtamen, cum litterae tuae venerandae nobis datae et adlatae essent, et principibus illustribus, omnem rumorem falsum qui contra te *factus erat* detexerunt et nubis caliginem removerunt, et lucem ac claritatem pulcritudinum tuarum divinarum ostenderunt; et tempus est nobis dicere: ' Gloria Deo in excelsis ' [1]; pacem enim quae in terra fidei nostrae *est* et spem bonam inter homines Deus magnus et Salvator noster Dominus noster Iesus Christus efficit et ostendit. Ideoque carmen quod primo angeli de caelo coetibus suis super terram apud Bethlehem in auribus pastorum cantaverunt, idem pastores et opiliones gregis cum eo [2] manibus inter se prehensis concordia sua ac consensu nunc Deo Domino nostro cantant, qui est gregis verus princeps ac pastor. Stella vero Christi lucida ex oriente *orta* et nunc rex est fidelis et Deum timens; et, quemadmodum hos [3] illo tempore ad Christum Deum nostrum ducebat, ad speluncam coituros et munera in honorem adorationis eius oblaturos, ita et hic splendorem fidei verae toti speluncae dicionis suae ostendit et coruscare fecit, et ' maceriam quae in medio erat ' solvit, qui concordiam membrorum ecclesiae *sanctae separabat et discindebat, eamque in hominem statura completa perfectum nutrivit; qui in una hypostasi et uno typo unum corpus ostendit, et e duobus unum fecit [4]. Intelleximus enim et a litteris gratiarum actionis sanctitatis tuae hunc etiam sicut David prophetam exsistentem et regem Goliath [5] nunc in agro occidisse cruce sola, et malum funda ictum obruisse, et litteris quidem fidelibus quas fecit deiecisse, et gladio veritatis spiritus [6] quem ostendit haereses et offensas praecidisse et

* p. 236. * p. 237.

[1] Luc., II, 14. — [2] Sc. ' grege '. — [3] Sc. pastores, qui cum magis confunduntur, nisi reges (Magos) innuit. — [4] *Eph.*, II, 14-16; IV, 13. — [5] Syr. ' Gulyadh '. — [6] *Eph.*, VI, 13.

abolevisse, quae sunt capita serpentis quem 'in tenebras externas'[1] deiecit, et in abyssis infimis terrae inclusum vinxit. Ergo gaudeant Hierosolyma superna, mater primogenitorum, et ecclesiae filiabus laetentur, et cantent, Deum laudantia et de regis victoria orantia, et dicentia: 'Cantate Domino splendido; magnifice enim glorificatus est'[2]. Et nos enim Dei victoriam admirati, quod ab epistula tua didicimus epistulas Henotici ad te pervenisse quae nobis praesentibus per Pergamium sanctitudini tuae missae sunt teque eis adsensum esse, fidem tuam celebravimus; et oramus ut Dominus noster vitam huius regis fidelis nobis custodiat, qui nos veritati univit. Et, dum verecundiam tuam saluto, et clericos eximios et monachos verecundos et populum fidelem, ego et qui mecum *sunt*, in litteris responsum reddentibus haec notavi.».

EPISTULA ACACII CONSTANTINOPOLIS FINITA EST

CAPUT XII DE EPISTULA EIUSDEM MARTYRII HIEROSOLYMORUM DOCET, QUAM PETRO QUI ALEXANDRIAE FACTUS EST SCRIPSIT ITA:

« Sacer et Deum amans summe sacerdos domine mi ac frater, et comminister mi Petre, Martyrius * Hierosolymorum. Tempus *est* nobis et nunc ut prophetam dicere: 'Domine Deus, te confitebor, et nomen tuum cantabo, quod miracula fecisti, quae *sunt* voluntas tua vera quae antiquitus *est*, amen!'[3], Domine noster. 'Os' enim nostrum 'gaudio repletum est et lingua nostra laudatione'[4], quod reapse in manibus Domini vidimus cor regis[5], qui voluntati eius veritate perpetuo obsequitur, et membrorum divisionem concordem reddidit, et porro quod dilectionis tuae litteras accepimus, sicut hic propheta nobiscum et nunc clamat, 'Leva in circuitu oculos tuos, et vide liberos tuos ad te congregatos'[6], quod in his ut iustum est laetamur. Et sanctitudinem tuam in Domino salutamus; et cum propheta David canentes dicimus: 'Adiciat vobis Dominus, vobis et filiis vestris. Benedicti vos a Domino qui fecit caelum et terram'[7]. Sacerdotes qui cum verecundia tua *sunt*, et populum fidelem, et sacros monachos ego et qui mecum sunt in Domino nostro optime salutamus ».

* p. 238.

HAEC EPISTULA MARTYRII EPISCOPI HIEROSOLYMORUM FINITA EST.[8]

[1] MATTH., XXII, 13. — [2] *Ex.*, XV, 1. — [3] Is., XXV, 1. — [4] *Ps.* CXXV, 2. — [5] *Prov.*, XXI, 1. — [6] Is., LX, 4. — [7] *Ps.* CXIII, 22, 23. — [8] Addidit scriba (fine prioris tomi textus) « Gloria Trinitati gloriosae Patri et Filio et Spiritui sancto nunc et semper et in saecula saeculorum amen! »

INDEX TOMI V.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ZACHARIAE ADSCRIPTAE.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

[1] Quae uncis inclusi in ipso titulo non commemorata sunt.

LIBER IV.

LIBER V.